31078/A

M. FRIEDERICI GOTTLIEB
KETTNERI,
Ill. Sch. E. Cizenſ. h. t. Con-Rectoris

ΜΟΥΜΙΑ
ΤΩΝ ΑΙΓΥΠΤΙΩΝ,

SIVE

HISTORICUM SCHEDIASMA

DE

MUMIIS ÆGYPTIACIS,

deqve

Egregia Lipſienſi in Bibliotheca Inſtructiſſima MAGNIFICI SENATUS QVONDAM VISA.

EDITIO SECUNDA

MVLTO AVCTIOR.

LIPSIÆ,
Typis & Sumptib. Joh. Ch. Brandenburgeri.
cIↃ IↃCCIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

REVERENDISSIMO SERENISSIMOQVE PRINCIPI ac DOMINO

DOMINO

MAURITIO GVILIELMO

POSTULATO ADMINISTRATORI EPISCOPATUS NUMBURGENSIS

DUCI SAXONIÆ

JULIACI CLIVIÆ ET MONTIUM, ANGARIÆ ATQVE WESTPHALIÆ LANDGRAVIO THURINGIÆ MARCHIONI MISNIÆ ET UTRIUSQVE LUSATIÆ, PRINCIPI COMITATUS HENNEBERGICI COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGÆ DYNASTÆ RAVENSTEINI, CETERA,

PRINCIPI AC NUTRITIO SUO INDULGENTISSIMO

FELICISSIMA OMNIA ETACCEPTISSIMA

DEVOTO ANIMO

HUMILLIME APPRECATUR

AUTOR.

REVERENDISSIME AC SERENISSIME PRINCEPS DOMINE CLEMENTISSIME

AD ſecretiora Adyta Tua, humillimo mentis ſenſu contendens, in Atrii ſubluſtri umbra conſtitutus, quod propius ad Tua Numina accedere non decet, vereor, ne perexigui mei ingenii temeritas usquequaque appareat, & Splendoris Tui Gloriam infuſcare ego videar tenebris quaſi obductis Ægyptiaci cujusdam ritus, qui inter viva Heroicarum atque avitarum virtutum exempla, demortuum aliquod, cadaver verius dicam quam hominem, Conſpectui Principis Immortali Vita digniſſimi devotiſſime offero. Magnus fateor, eſt impetus animi mei, magnus & temerarius auſus! Sed intra Tuam, ut opinor, Clementiam, qua ſicut alias Principalis Tui Generis Decus, Rei literariæ Alcides, Virtutum Ubertas, Phœbi Amor, Muſarum Delicium, Eruditorum præſidium & Numen in toto orbe jamdum ſalutaris: ita pari cum ſtupore omni ſeculo præluces, a

na-

naturæ ipſa ad Gratiam ſummam compoſito corpore, iisque oculis velut Ignitis Globis inſtructus divinitus & exornatus, ut ad pauperiorum ſortem benignisſime ferendam, ac ſublevandam, ad Clientum operas tenuisſimas tutandas atque firmandas natus cum admiratione omnium incredibili cluas ac celebreris. Neque unquam in Nominis Tui Serenisſimi, Domine Inclytiſſime, *ſervorũ fidelium numerũ ego relatus ac cooptatus judices ſi, quod fœdum, ſqualidum ac emortuum, quod veſpillones veſpertino tempore efferendum rectius curant, & non potius vivum funus ſine pallore, vermibus ac ſerpentibus erotum, admorſum, ſine putredine, exemplarac imaginem poſt fata ſuperſtitis Ægypti ſine odore ingrato ac ſine ulla ſpe apparitionis inde metuendæ, cum ſummiſſo ac calidisſime fuſo voto perpetuæ ac non interrumpendæ Proſperitatis*, Domus Tuæ Celſiſſimæ *Aulæ Huic vere Auguſtæ illaturus ſim. Hæc ſiſtenti vero, licet admodum rudi ac incomto penicillo, benevolos oculos præbere, non omnino alienum a Magnitudine ſua exiſtimare forte etiam Principum optimi poſſunt: quandoquidem Idem ab interitu vindicare literatam Antiquitatem, ab hoſtili roſione ac*

 putri

putri oblivione defendere ſinceræ fidei monumenta, ad Gloriam imo officium ſuum pertinere jure merito pasſim terrarum arbitrantur. Hujus Serenisſimi Ordinis, nullum Id ipſum Pater Patriæ, *TE, perfectius intelligere, equidem nemo inficiatur. Præterquam enim, quod ad Honeſtisſimarum literarum ſcientiarumque cultum quam benignisſime deſcendas, quod ſacro ac Venerabili Senatu, Illuſtrisſimo ac Gravisſimo conſeſſu Anaxarchorum, Oneſicritorum, Plotinorum, Claudiorum & Tubatorum undique ſtipatus ſis: quod item in oculis feras & liberaliter habeas a* MAGNO MAURITIO *Parente, non intermoritura memoria Principe inque Sacro Principatu Anteceſſore conſtituta pubis ſcholaſticæ ſeminaria, non in principe tantum Ditionis Ducalis Urbe ſed & pluribus conterminis, quod rarum ſane in Tanto Natalium ſplendore, Principalis Tui Generis ornamentum; Ipſemet ad Doctrinam Perfectisſimam, Hiſtoriam omnium temporum, ad Antiquarum rerum Notitiam utilisſimo & digno Principe mentis proventu, inter tantam Graviorum Negotiorum molem & inter alibi ſævientes ſtrepitus bellorum*

usque

usque adeo penetras acumine mentis divinæ, ut æmulorum, ſi qui ſint, invidiam frangas facillime & Tuæ Principum Claſſis ſimilem Germania non facile viderit, forte nec unquam facile ſeculorum ventura propago viſura ſit. Haud vulgares memoravi in Principe Noſtro *dotes, Religione præcipue & veræ Nobilitatis ſtudio inſignes, ſed quas digne elatas nullus mortalium numerus includet, quin illæ omnibus numeris ſint abſolutiores.* Celſiſſimus Ille Tuus animus, *ut celeberrimi cujusdam Viri de Principe verba mea quodammodo faciam*, qvaſi circulus qvidam eſt, qvem tot ſecula fruſtra qvadrare & ad ignobiliorem formam traducere ſatagunt, ſemper in ſe rediens, ſemper ſibi ſimilis, nec angulo excedens, nec ſinu qvodam impreſſus. Volvitur hæc Immortalis Tui Genii Sphæra ſuper fixo & ſtabili rationis axe. Divini Numinis amorem pro ſole habet, virtutum omnium complexum pro ſtellis. *Quo in Auguſtisſimo Principum cælo cum Parelii inſtar ipſe effulgeas, nec influxum in ſubſolana & ſervos humillimos cohibere posſis ac velis, qvid eſt qvod mihi prius qvod antiqvius eſſe posſit, quam ut* Clementiæ Tuæ *radiis incaleſcam & devoto obſeqvio, obſtrictisſimis*

ſimis teſtimoniis ſubmiſſæ Fidelitatis TE *poſt Deum, fontem meæ ſalutis in his terris colam & mola, ut ajunt, ſalſa litem, cum thura non habeam. Excitavit ſane Eadem maxima ac velut Ignea* Gratiæ Tuæ *flamma me ſub cinere Academico & intra privatos parietes latitantem & benignisſimo nutu protraxit ante hos quinque annos in hanc hominum lucem, in hoc Civitatis publicum theatrum. Tuo igitur imperio*, Princeps Indulgentiſſime *Tuaque autoritate ſuffultus, erectus ſto & ſtabo in officio obeundo fideliter quoad Deus & Iedid JaEjus probaverint & quoad non obſtiterit ſecus ſentientium benignior voluntas. Ecquid autem eſſet, quo devinctisſimum animi mei ſenſum & tenerrimi affectus magnitudinem ſolicite ac provide exprimam, is fuit, qui in hac re nunquam non mihi haud immerito fuit ſcrupulus. Quod ſi enim pia grataque mente agnoſcere beneficia cujusvis eſt, quantumvis infimam ſedem inter ſapientiæ filios vix mereatur: ea tamen primum omnium quemlibet concitent ac invitent neceſſe eſt, quæ quo majori orta principio, eo magis pretioſa munera offerunt, promotionem puta &, ut paucis multa dicam, lætisſimam Clientelam. Quod ſalva itaque* Clementia Tua *fiat, REVERENDISSIME atque SERENIS-*

NISSIME PRINCEPS, Nutritie Clementiſſime, *non quod ad Cleanthis quidem lucernam excogitatum eſſet, id quod ſolum conſpectu Tuo Auguſto dignum, vires vero longe excedit meas; ſed quod pietas ſuprema jusſit & quod colluctantes invicem affectus, ſpes & timor verecundus expreſſerunt verius quam expromſerunt, ea qua decet animi ſubmisſione, eo, quo par eſt, cultu humillimo, offero ac depono, promittens mihi eandem reſponſionem, vel potius Quæſtionem Animoſo Principe condignam, quam Macrobius in ſaturnalibus ſuis retulit ac Cæſar Auguſtus reddidit, cum Ei quidam libellum trepidabundus offerret & modo protenderet manum, modo retraheret. Scilicet hi geſtus, hi mores in me æque ſunt, qui in illo fuerunt. Sed conciliabitur conatui huic indignisſimum omnino pretium, ſi Patrocinio* Sereniſſimi Nominis Tui *non indignus viſurus ſit, a cujus luce obſcurus per ſe labor illuſtrari commendarique queat. Pro hoc Gratioſisſimo affectu, ſi devotæ* Tibi *mentis precationes accipis, cumprimis tali in rerum ſtatu, ubi facultates offerentis anguſtioribus limitibus circumſcribuntur, ſimplex a me & flagrans adſonabit votum, ut* TE IndulgentiſſimeDomine, *cum* Celſiſſima Conjuge *atque* florentiſſimis Utriusqve ſexus Principibus, *Rex Regum,*

Prin-

Princeps vitæ ſervet ac benignisſime ſoſpitet in perpetuum ſeculi Ornamentum, in Regionis & Religionis ſolatium, in evaneſcentiū artium Aſylum! Denique cum confluentes ex orbe litterato gratulationes admittas pro benignisſime adimpletâ ſpe de Hærede *vere Maſculo & Generoſo Heroicæ Virtutis Tuæ donato, fas & mihi ſit, licet ſerius, ſat cito tamen, inter officii pulveres, e ſtudiorum meorum Muſeo tanquam ſpecu & caverna quadam obſequia mea conteſtari felicitatemque omnem & ſecuritatem pie ac fideliter apprecari. Taxit Deus, ut* Domum Tuam Sereniſſimam *& in Domo Hac Auguſta propter Tuum Exemplum Salomonem Davidis ſui effigiem, ſemper colat, ſemper canat, ſemper celebret ſera & officii debiti æmula poſteritas! Quod vovet*

REVERENDISSIME atque SERENISSIME PRINCEPS

Humillimus Auctor.

LECTORI BENEVOLO,
S. O.

OCtavus jam agitur annus, ex quo pro more laudabili in Academiis recepto, hortatu Patronorũ quorundam ſpecimen hoc de MUMIIS Ipſe Præſes Lipſiæ edidi. Cujus momenta paucis, ut videre fuit, paginis conſtrinxi. Invenit Thema hoc tum temporis electum, tot procos qui pretio ſibi pararent, ut, quod præfiſcine dixerim, omnia Exemplaria impreſſa parvo interpoſito ſpatio diſtraherentur. Nuper itaque Amicorum nonnulli, cum Illius alibi ſæpe benigna injecta fuiſſet mentio, provocabant laborem Eundem & ſincere conteſtabantur, non ingratum fore lectoribus, ſi prælo denuo committeretur. Equidem non ignorabam infirmita-

tem meam & quam parum elaborata & imperfecta opella eſſet, quæ malevolorum morſus nec effugere nec evitare valeat: malui tamen morem aliis gerere in cauſa non contemnenda, quam ultro in ſalivam publicam quid emittere. Si qui itaque dictitent forte, me gloriolæ cujusdam auram popularem captare voluiſſe, quod meas ſchedulas omnis eruditionis inanes ſeorſim divulgaſſem; vim ſane inferunt innocenti, utpote qui ſcio, me metiri meo modulo, nec tanti æſtimare ſoleo, cum quibusdam altioris ſupercilii hominibus meum laborem, ut aliquo modo me unquam vel caperet vel capere poſſit, nedum ut lucis publicæ dignus mihi haberetur. Id autem egi in hoc unice, ut, quia curta ſuppellex mea,

iisdem gratificaturus Amicis quævis pro more ad marginem exemplaris mei prioris notata colligerem & in hanc, quam vides, commodam, ut puto, formam congererem. Si quid factum quod arrideat, mihi non tribue: quod diſpliceat, boni conſule. Ex vero Tibi promittere poſſum, duplo plura acceſſiſſe chartis prioribus & quodammodo ſolidiora. Et ſi hiulca Tibi, extemporanea & minus ordinata videantur ἐπιβλήματα, erunt tamen fortaſſe, qui dū omnia hic congeſta malint vel alio ordine vel majori diligentia collecta atque deducta, equidem non omnia, multa tamen oſtenſa, quamque attendi humaniſſime peto, voluntatem ſe reperiſſe dicant. Vale his ex voto & in Judicii æquitate acquieſce.

I. N. J.

Index & Connexio Rerum quæ tractantur.

PROOEMIUM.

§. I. *De ſcopo Introitus.*

§. II. *De Romanorum aliarumque gentium crematione.*

§. III. *Mos humandorum cadaverum eſt antiquior.*

§. IV. *Judæis aliqui cremationem cum Roman. tribuunt.*

§. V. *Judæorum recentiorum mos circa defunctos.*

§. VI. *De Babylon. & Sinenſibus circa eandem materiam.*

§. VII. *de Incolis Inſulæ Ceilan.*

§. IIX. *Ritus Americanorum promiſcuus circa mortuos.*

§. IX. *Aethiopes quam conſuetudinem habeant.*

§. X. *Qualis mos Ægyptiis fuerit in defunctis tractandis.*

§. XI. *Deducta inde connexio ad*

CAP. I. GENERALE.

§. I. Etymologia *vocis Mumiæ.*

§. II. *Sententia aliorum de hac voce.*

§. III. Synonymia *vocabuli.*

§. IV. Homonymia.

§. V. *Confirmatur Homonymia.*

§. VI. *Stabilitur Homonymia.*

§. VII. *De* Origine *ritus Ægyptiaci hujus inquiritur.*

§. IIX. *Quæ adjudicatur Ægyptiis & reſpondetur ſimul ad Baronii locum quendam dubium, ubi condere pro condire ſcripſiſſe videtur.*

§. IX. *Inveſtigatur* cauſa Unctionis.

§. X. *An Pythagoras* μεἰεμψύχωσιν *quoad literam; an vero ſymbolice intellexerit.*

§. XI. *Removetur a Gentilibus opinio Reſurrectionis credita.*

§. XII. *Idem tractatur porro & ad Obj. quandam reſpondetur.*

§. XIII. *Adducitur alia cauſa Unctionis.*

§. XIV. Acceſſus *fit propior ad ipſum Thema & fontes aperiuntur unde hauſerimus.*

§. XV. *Res repetitur a* luctu *obeuntis ex Herodito.*

§. XVI. *Collatio inſtituta ex Diodoro.*

§. XVII. *Summa Dictorum.*

§. XIIX. Ratio diverſa *condiendi producitur ex Herodoto.*

§. XIX. *Collatio inſtituitur ex Diodoro.*

§. XX. *Summa dictorum.*

§. XXI. Miniſtri ταριχευταὶ *ſiſtuntur ex Diodoro qui ſolus hæc habet.*

§. XXII. *Summa dictorum.*

§. XXIII. *Probatur* Exenterationis & Conditurae forma *ex Herodoto.*

§. XXIV. *Idem ex Diodoro.*

§. XXV. *Summa dictorum.*

§. XXVI. *Affertur judicium Clauderi de primo Genere Condiendi Veterum.*

§. XXVII. *De II. Genere.*

§. XXIIX. *De III. Genere.*

§. XXIX. *Differitur hac occaſione de Conditura Jacobi.*

§. XXX. *De diebus quadraginta ejus conditurae impenſis.*

§. XXXI.

§. XXXI. *Occurritur dubio allato, ex Walthero.*

§. XXXII. *Quanquam Schotanus aliam mentem habeat.*

§. XXXIII. *Illis quadraginta diebus addebantur ſeptem luctus Iacobi.*

§. XXXIV. *Patri filius Ioſephus inconditura haud impar.*

§. XXXV. *De quo Rabbinorum duæ ſunt ſententiæ.*

§. XXXVI. *Affertur altera cum κρίσει quadam.*

§. XXXVII. *Iudæi in ſepultura Unctionem imitati ſunt.*

§. XXXIIX. *Chriſtiani fecerunt idem.*

§. XXXIX. *Reditur ad priora, nempe ad materiam Balſami &*

§. XL. *Recenſentur variæ ſpecies controverſæ.*

§. XLI. *Fertur judicium ex Nanlio.*

§. XLII. *Additur ſententia mitior de Hiſtoſtoricis ſecus judicantibus.*

§. XLIII. *Inde de ratione adhuc corpora ungendi per liquorem dicitur.*

§. XLIV. *Vel per ſiccam unctionem.*
§. XLV. *De* interiori *corporum* ornatu *&* Iſide *in faſciis quibusdam.*
§. XLVI. *De* icunculis *aliis corpori inſutis.*
§. XLVII. *De* aureo folio *ori quorundam inſerto. ſic &*
§. XLVIII. *Icones* externæ *in faſciis erant, quin imo*
§. XLIX. *In ipſo* feretro *apparebant.*
§. L. Faſciæ *earumque mirabilis ligatura.*
§. LI. *De* Reſervatione *corporum in domibus.*
§. LII. *De* Sarcophago.
§. LIII. *Quis* honore ſepulturæ dignus *habitus ſit, quis minus.*
§. LIV. *Summa fuſius dictorum.*
§. LV. Pompa *funebris.*
§. LVI. *De* incluſione *in Cryptas.*
§. LVII. *De* Diis *tutelaribus.*
§. LVIII. *Adduntur quædam de uſu Medico*
§. LIX. *De Mumia recentiori artificiali.*
§. LX. *De Mumiæ Ægypt. uſu in medicina:*
§. LXI. *De Franciſci I. Regis Francorum Cura Mumiali.*
§. LXII. *De difficili ſuper maria translatione.*


CAP. II. SPECIALE.

§. I. *Connexionem cum conſequentibus facit.*
§. II. *Senatus Lipſ. favorem agnoſcit. Inde ad*
§. III. Rem ipſam, unde delata ſit, *proceditur.*
§. IV. Ubi recondita fuerit, & *nos viderimus Eam.*
§. V. Operculum *conſiderat.*
§. VI. Partem feretri inferiorem.
§. VII. Avem *adjunctam. Porro penſitat*
§. IIX. Latitudinem, longitudinem, colorem & *quæ alia feretri ſunt.*
§. IX. *Ad* faſciam *in feretro pergit, cujus circa*
§. X. Superiorem *partem ſubſiſtitur.*
§. XI. *Faſciæ* medium *conſideratur.*
§. XII. Figura fœminea *explicatur &*
§. XIII. Pars infima *additur a lateribus*
§. XIV. *Ejusdem explicatio.*
§. XV. *Ejusd. continuatio.*
§. XVI. *Ejusdem concluſio.*
§. XVII. Hieroglyphicum *indicat intra imaginem alatam medium.*
§. XVIII. *Idem explicat.*

§. XIX. *Ad fundamentum remittit.*
§. XX. Lineas utrinque ductas *tangit.*
§. XXI. *Tandem* ad ipſum cadaver *tranſit.*
§. XXII. Stratum, formam & quantitatem *ſignat.*
§. XXIII. Cranium *& quæ capitis ſunt, reſpicit.*
§. XXIV. Pectus *& quæ circa illud digna notatu, notat, &*
§. XXV. *Clauſulam addit. Accedunt in Appendice*
§. XXVI. Quæſtſt. de termino ritui Ægypt. ponendo.
§. XXVII. De moralitate Unctionis adhuc ſervatæ.

PRO-

1.



2.



3.



4.



Gottfrid Valentin delin:

J. C. Böcklin ſculpsit.

PROOEMIUM.

§. I.

UT in vaſto hoc, quaqua patet, terrarum ſpatio, omnes defunctorum cadaverum formas ex cinere quaſi ſuo eruamus, & velut in tabula quadam appenſa conſpiciendas cuilibet ſiſtamus, tum toties repetitum ſtudium Clariſſ. Virorum, quo ad ſatietatem hoc famoſiſſimum genus materiæ perſecuti ſunt, tum penuria temporis carius auro quovis Magiſtris ſcholarum emundi, quin & ipſe ingenii magnus ſtupor prohibent. Neque tamen hæc ita prorſus animum revocabunt ab hoc inſtituto, quin unius vel alterius ritus, quem variæ gentes frequentavere jam olim, & in curandis non ſine maxima cura demortuorum corporibus adhuc ſedulo repetunt, aliquam mentionem injiciam.

§. II. *Quod ſi enim* plagas hujus univerſi ſyſtematis percurramus proh! quam

di-

diverſa ſe offerunt genera curandorum mortalium qui ſuprema fata ſubiveruut! Fuit olim moris apud Romanos & pleraſque alias gentes, Græcos puta, Gallos, Germanos, flammis conſumére rudera mortuorum & crematorum cadaverum oſſa urnis indere ac tandem terris mandare. α) Quandoquidem ſi evolvimus Kircheri Latium β) ex Murliano oſtendit, morem hunc comburendi, poſt Numam Pompilium, ſecundum Romm. Regem, usque ad Antoninos Cæſares & toto Reipublicæ tempore duraſſe, intra quem temporis ambitum ſpatium quatuor aut quinque ſeculorum ab U. C. præterfluxiſſet, id quod ſepulchrum Furiorum, T. & M. Furii circa aut poſt quadringentos annos, ab U. C. extructum & conditoria cinerum in eo reperta ſatis teſtarentur: qui & ſupra hæc plura de cœmiteriis, geniis ſepulchrorum, vaſis cinerum, ſimplicitate veterum in vaſis ac ſupellectile, numiſmatis, annulis ſepulchralibus eorumque myſteriis non contemnenda cum cura conſignavit.

§. III.

α) *Kirchm. de fun. Romm. L. 3. c. 7. 8. Roſinus in Antiquit. Romm. L. 8. c. 39. p. 987. ſqq.* β) *ſ. deſcript. Latii tum veteris tum novi p. 68. ſq.*

§. III. Hac crematione tamen eſt antiquior apud omnes gentes mos *humandorum cadaverum*, quem ab antiquis traditum usque ad noſtram ætatem inter cætera ſolennia omnis Europa aſſervavit & quem Grotius a primis poſt diluvium temporibus ad deteſtationē τῆς ἀνθρωποφαγίας, quæ inter cætera extremæ feritatis ſcelera priſtinum orbem invaſerat, originem trahere, jam dudum α) ſtatuit. Nam & ejus rei famam ad Græcos manaſſe oſtenderunt Ei Moſchionis Siculi illius Poetæ elegantiſſimæ lineæ, quando ſcripſit:

— — καὶ τὸν ἠγριωμένον
Εἰς ἥμερον δίαιταν, ἤγαγον βίον.
Κἀκ τοῦδε τοὺς θανόντας ὥρισεν νόμος
Τύμβοις καλύπτειν, κἀπιμοιρᾶσθαι κόνιν
Νεκροῖς ἀθάπτοις, μηδ' ἐν ὀφθαλμοῖς ἐᾶν
Τῆς πρόσθε θοινῆς μνημόνευμα δυσσεβές.

A qua conſvetudine ne quidem Ruſſos excluſerunt rerum Moſcoviticarum autores varii unum in corpus congeſti β) quorum licet rara & ridicula conſvetudo ſimul ſit, dum defunctorum cadavera loculis condunt ac manui cadaveris codicillos indunt quo-

α) *Comment. in N. T. ad Locum Matth. IX. v. 23.*
β) *edit. A. 1600, p. 175. 153. 418.*

quorum ſumma eſt, defunctum fuiſſe Ruſſum, Ruſſorum fidem amplexum ac in eadem fide deceſſiſſe: dum præterea has literas D. Petro afferri ajunt, ut lectis iisdem demortuus mox admittatur & ſincerioris fidei, ut ajunt, ſectatori beatior ſedes quam cæteris concedatur: exacto tamen anno, quo loculis conditum in forniculo aliquo cœnaculo domi ſervarunt, in ſylvis & agris inque ſolita humo ponunt, tumulos aggeſtis lapidibus muniunt Signumque crucis ſuperimponunt.

§. IV. Porro *Aſiam* mentis perluſtrantes oculis, Judæis aliqui eundem cum Romanis morem tribuere voluerunt, ſacrarum literarum fundamento inducti, quibus exemplo Saulis α) Jorami β) Aſæ γ) haud infrequens flammæ ejusmodi funebris memoria placet. Ut vero ſilentio involvam cætera, non deſunt qui vel Saulis confoſſum cadaver plane non crematum vel comburendum extra ordinem ſtatuerunt, quod jam dudum ſoli & aëri expoſitum computruiſſet & ſic proſpiciendum fuiſſet; ne rurſus corpora illa ludi-

brio

α) 1. Sam. 23. 22. 13. β) 1. Paral. 21. 19. γ) c. 16. 14. ſqq.

brio exponerentur, ac, ut Euripides de Polynice ait, ἄκλαυςα, ἄταφα & οἰωνοῖς φορὰ relinquerentur. Unde hoc moris conſveti apud Judæos non fuiſſe volunt, ſed ut B. Geierus α) pluribus edocet, quaſi aliunde allatum & pro conditione corporum quam rariſſime uſu vulgatum ajunt.

§. V. Neque ita facile ullum ex eruditorum cenſu latebit, quis recentiorum Judæorum modus tractandi mortuos ſit, quomodo cum obierit aliquis, quidam ex propinquis ejus oculos mortuo & os claudat, alii corpus humi ſternant linteo involutum vultumqve illius obtegant ne quis intueri rurſum audeat. Et hæc quidem Buxtorfius β) confirmat, qui moribus Ebræorum deſcribendis aſſiduam operam navavit, quibus ad tumulum pervenientibus Pocokius γ) adhuc longas preces attribuit, quarum argumentum ſummatim doctiſſimus hic Anglus eodem in loco ſic exhauſit. *Sit voluntas Domini DEI noſtri, Creatoris noſtri, ſancti noſtri, ſancti Jacob, qui creavit omnes filios foederis ſui in judicio & vitam ipſis tribuit in judicio*

α) de luctu Ebr: c. 6. β) Syn. Jud. p. 699. ſqq. γ) in nott. miſcell. ad Portam Moſis Maimon. p. 224.

dicio & mori fecit ipſos in judicio & reſuſcitaturus eſt ipſos ad vitam futuri ſeculi, quique novit numerum eorum omnium (ut) ita acceleret ac feſtinet expergefacere Dominum & Doctorem noſtrum Haggaonem (eximium) ſanctum iſtum (aut juſtum iſtum aut ſapientem doctorem iſtum) cujus corpus habitat in ſepulchro iſto, cujus oſſa in medio lapidum iſtorum requieſcunt, & vivificet iſtum vita æterna, quam nulla mors ſequitur, vita quæ omnem mortem abſorbet quæque omnes lacrymas abſtergit atque omne opprobrium aufert una cum omnibus qvi vitæ adſcripti ſunt in Jeruſalem cum ſeptem paſtoribus & octo principibus de quibus dictum eſt. Mich. 5. 4. eritque iſte pax quando Aſchur venerit in terram noſtram & cum calcaverit in palatiis noſtris & ſuſcitabimus adverſus eum paſtores ſeptem & octo principes hominum, detque ipſi partem cum intelligentibus iisque qui juſtificant multos qui erunt inſtar ſtellarum in ſeculum & ſempiternum: quin & totum reſiduum populi Domini, Domus Iſrael (eorum) qui cuſtodiunt pactum Dei noſtri & faciunt beneplacitum ipſius. Omnes, inquam, iſtos excutiat Dominus Deus noſter

epul-

è pulvere ipſorum ſitque ſors ipſorum & ſors noſtra in vita, vita ſeculorum, ut ſtabiliat in ea illos omnes tam parvos quam magnos, ſecundum illud quod in textu ſcriptum eſt Pſ. 72.16. Et erit particula frumenti in terra in ſummitate montium ut moveatur ſicut Libanon, fructus ejus & florebunt de civitate quaſi herba terræ, & confirmet fiduciam iſtam qua confidere fecit per Eſaiam filium Amos Prophetam Iſa. 26. 19. Vivent mortui tui, cum cadavere meo reſurgent: expergiſcimini & laudate habitatores pulveris: quia ut ros olerum ros tuus & terra mortuos projiciet. Et ſicut promiſit Danieli Viro deſideriorum Dan. 12. 13. Tu autem vade ad finem tuum & requieſces ſtabisque in ſorte tua in fine dierum. Et ſicut promiſit omnibus coetibus Iſraelis *per ſervum ſuum Ezech. f. Buzi Sacerdotem c. 37. 12. Ideo vaticinare &c. Exultent ſancti cum gloria, cantent ſuper lectis ſuis gaudeantque juſti & exultent coram Deo & lætentur in ſalute ipſius. Dicetque die illo Eſ. 25. 9. Ecce Deus noſter ipſe eſt, expectavimus eum & ſervabit nos: iſte Jehova, expectavimus eum, exultabimus & lætabimur in ſalute ejus. Et nos benedicemus Domino ab hoc tempore us-*

que in ſeculum. Allelujah. Huc usque precatio Judæorum in monumentis defunctorum voce ſonora recitata.

§. VI. *Nihil jam dicam* de veteribus Babyloniis; qui cera oblinebant corpora: neque de Sinenſibus multa proferam apud quos maxime liberi magno ceremoniarum apparatu pietatem erga Parentes teſtantur. Videas enim apud Gobienum α) ſocietati Jeſu addictum non id una ratione fieri. Primo enim priusquam corpus defuncti ſepeliunt, in conclavi patentiori exponunt, & in menſa aut imaginem defuncti, aut tabulam, cui ejus nomen inſcriptum & hæ literæ: *Thronus ſive ſedes animæ vel ſpiritus N.N.* collocant, additis floribus, ſuffimentis & accenſis cereis. Qui ergo dolorem ſuum ob mortem defuncti comprobare volunt, ſe coram iſta imagine aut tabula proſternunt, terram fronte percutiunt incenſisque ſuffimentis cereisque oblatis diſcedunt. Sinæ autem ſunt in ea opinione, ut à Nicolao Charmot β) ali-

α) in explanatione cultus, quem Sinenſes Confucio & defunctis exhibent. β) *in Hiſtoria cultus Sinenſium Innoc. XII. oblata, conf. & Nic. Trigantium L. 1. de Chriſt. Expeditione apud Sinas p. 81.*

alibi demonſtratur, animam defuncti invitatam oblationibus & precibus, in eam tabellam advenire ibique aſſiſtere, ut fruatur odoribus aliisque eduliis ſibi oblatis. Deinde, pergit Gobienus, poſt ſepulturam, ſingulis ſex menſibus, vere nimirum, & autumno, tota familia in loco cultni huic deſtinato, *Tſutangi* ipſis dicto, h. e. æde ſ. conclavi majorum convenit, & in menſa effigie ejus, qui caput familiæ fuit poſita, ciborum ac frugum varia genera & alia bellaria imponit, & hac ratione ſuam pietatem & obſervantiam progenitori exhibet, ut ſi in vivis adhuc eſſet. Plebeji autem homines, tabulam, cui majorum nomina inſcripta ſunt, in honeſtiori ædium ſuarum parte collocant, quo ipſo ſuo officio ſe ſatisfeciſſe putant, eos frequentibus genu flexionibus, odorum ſuffitu & fructuum ac ciborum oblationibus inſuper venerantes.

§. VII. *Mitto* morem incolarum Inſulæ Ceilan, quæ videtut veterum Taprobana fuiſſe, qua de Diodorus Siculus *α*) ejusque antiquioribus ritibus jumdudum ſcripſit: *θάπτουσι, τοὺς τελευτήσαντας, ὅταν ἄμπο-*

 πο-

α) *L. 2. p. 141.*

πωτις γενηται, κάταχωννύντες εἰς τὴν ἄμμον, ὥστε κατὰ τὴν πλημμυρίδα τὸν τύπον ἐπιχώννυσθαι, *defunctos reciprocante mari humant arenis obruentes, ut per æſtus inundationem, turmulus illis aggeretur.* Sed L' Empereur *α*) propior temporibus noſtris illos mortuos non ſepelire aſſerit, ſed variis aromatibus condire ac in ſcamnis ſecundum diſtinctas familias depoſitos ſindonibus tegere, ut ſinguli ſuos Parentes totamque familiam multis retro annis dignoſcere queant.

§. IIX. Qualia veſtigia τοῦ θάπτειν. *Americani* legant, niſi mitius, exaſciatis eorundem quodammodo moribus nunc demum ſentire velimus, præter alios Dapperus *β*) ſatis ſuperque exprimit, ubi plerumque cadaveris capiti ſupponi lapidem tradit & cadaver ſedens erigi à latere olla poſita cum aheno, patina, cochleari & moneta ſi qua cum cæteris inſtrumentis in futuro mundo opus habiturum ſit. Et ne aditus cujusvis temeritati pateat, addit, illos demortuum armis veluti ſic inſtructum lignis oblongis cingere, iſtisque à ſuperiori parte aſſeres ſuper-

α) *in nott. ad Itin. Benj. Tud. p. 187.* *β*) *in America p. 152.*

perſtruere, ut ab injuria aëris & hominum aliquantum defendatur.

§. IX. *In Africa* tandem nos Æthiopes detinent ac demorantur, de quibus, Herodotum ſi conſulamus α) is jamdiu ſcribit: Ἐπεὰν τὸν νεκρὸν ἰσχνήνωσι εἴτε δὴ καλάπερ Αἰγύπτιοι, εἴτε ἄλλως, γυψώσαντες ἅπαντα αὐτὸν, γραφῇ κοσμέουσι, ἐξομοιεῦντες τὸ εἶδος εἰς τὸ δυνατόν. Ἔπειτα δέ οἱ περιϛᾶσι ϛήλην ἐξ ὑέλου πεποιημένην κοίλην, ἣ δέ σφι πολλὴ καὶ εὔεργος ὀρύσσεται. Ἐν μέσῃ δὲ τῇ ϛήλῃ ἐνεὼν διαφαίνεται ὁ νέκυς, οὔτε ὀδμὴν οὐδεμίην ἄχαριν παρεχόμενος, οὔτε ἄλλο ἀεικὲς οὐδὲν, καὶ ἔχει πάντα φανερὰ ὁμοίως αὐτῷ τῷ νέκυϊ. Ἐνιαυτὸν μὲν δὴ ἔχουσι τὴν ϛήλην ἐν τοῖσι, οἰκίοισι, οἱ μάλιϛα προσήκοντες, πάντων ἀπαρχόμενοι καὶ θυσίας, οἱ προσάγοντες, μετὰ δὲ ταῦτα ἐκκομίσαντες ἱϛᾶσι περὶ τὴν πόλιν. Quod latine ſic redditur: *Poſteaquam mortuum ſive Ægyptiorum more ſive aliorum refecerunt, totum gypſo inducunt picturaque exornantes repræſentant, quoad fieri poteſt, effigiem ejus: Deinde cippum ei cavum e vitro, quod apud illos multum eſt & facile effoditur, circumdant: in cujus medio mortuus interlucet, nihil neque odoris ingrati neque fœditatis ullius exhibens, ſed omnia*

α) *in Thalia L. III. p. 170.*

omnia illi ipſi mortuo ſimilia habens. Hunc cippum qui maxime ſunt propinqui, intra ædes annum tenent offerentes ei omnium rerum primitias hoſtiasque & anno exacto efferunt circaque urbem ſtatuunt.

§. X. Quodſi igitur juxta Ægyptiorum morem Æthiopes cadavera mortua pararunt, alia ſane fuerit, neceſſe eſt, conſvetudo illorum ſepeliendi, quam quæ cremandi opera abſolvitur, cum Αἰγυπτίοισι νενόμισαι πῦρ θηρίον εἶναι ἔμψυχον; ut idem Hiſtoricus modo nominatus doctiſſime tradit, a) πάντα αὐτὸ κατεσθίειν, τάπερ ἂν λάβῃ: πλησθὲν δὲ αὐτὸ τῆς βορῆς συναποθνήσκειν τῷ κατεσθιομένῳ, cum Ægyptii ignem animatam belluam habeant, quæ omnia devoret quæ naſcuntur & poſtquam devorando fuerit expleta, una cum ipſa re devorata moriatur. Neque vero etiam moris erat apud illos, mortuum belluis tradere aut canibus ſepulchralibus projicere quos juxta Strabonem Hircani demortuis ſuis deſtinaverant. Namque ſaliendis iisdem operam dederunt, eoque ipſo roſiones vermium evitare putarunt: quo fine eodem in loco legitur: διὰ ταῦτα ταριχεύ-

a) *l. c. p. 167.*

χεύουσι, ἵνα μὴ κείμενος ὑπὸ εὐλέων καταβρωθῇ.

§. XI. *Atque ſic perveni mus demum* ad Thema noſtrum præſtitutum, ablegantes curioſum lectorem, ſi fortean plura de ritibus variis curandorum corporum poſt mortem legere aveat, ad Alexandrum de Alexandro α) qui hæc ad minimum non ſomniculoſe & ut ita dicam, genialiter ſcripſerit, quam notam ei alias inuſſit Car. Molin. β) vel ad Stobæum γ) alioſque quamplurimos bene notos. Dicimus autem omni jure ab initio ſtatim mirari nos inſigniter cultum pretiumque moris Ægyptiorum ſepeliendi, ſiquidem quotquot audivimus vel quotquot legimus curandorum cadaverum genera, nullum ſane dignitate ac diligentiâ hoc ſuperaverit. Vocavit quidem Virgilius δ) funus ac ſepulchrum ſupremum honorem ubi hæc verba decantavit:

> - - *inhumataque corpora terræ*
> *Mandemus: qui ſolus honos Acheronte*
> *ſub imo eſt.*

α) *L. 3. genial. Dier. c. 2. ubi Tiraquelli notæ ſimul conferendæ ſunt,* β) *Tr. de commerciis, uſuris &c. qu. 39.* γ) *Sermon. 120. aut 122.* δ) *L. XI. Æneid. v. 22. ſqq.*

Ite, ait, egregias animas, quæ ſangvine nobis
Hanc patriam peperere ſuo, decorate ſupremis
Muneribus.

Veruntamen miſerabile ac funeſtum corpus ſublatum, & nati, Pallantis, crudele funus nullo pompæ apparatu ad Evandri urbem remiſſum ibidem confirmavit α) Qua in re multis paraſangis Ægyptiis inferior cultus dicendus hic eſt. Sic in Æthiopia, licet monumenta ditioribus ex auro fiebant, uti ex Herodoto & Diod. Siculo patet]; nullus tamen ejusmodi honor ipſis demortuis deferebatur, qualis quidem Ægyptiis obeuntibus exhibitus eſt, quibus nihilominus major ſepulchrorum quam domorum, ut infra luculentius dicetur, cura fuit. Introeamus ergo ipſas cavernas Ægyptiacas & per gradus quaſi cum Mumiophilis deſcendentes in abdita ea loca *Mumias*, ut vocarunt, conſideremus penitius, quo valor verbis noſtris eo firmius conſtet, & nos id, quod promiſimus in facie, in corpore ipſo exhibeamus.

CAP.

α) v. 59.

CAPUT. I.
GENERALE.

§. I.

UNde Mumiarum vocabulum originem ſuam ducat, quidque eo ſignificetur, primo loco meritò hic notandum eſt. Deducunt aliqui ex arabico מום, quod per ceram transferunt, in qua perſtitere ſententia Philologorum Excellentiſſimorum Par nobiliſſimum Bochartus & Golius *α)* quorum ille vocem hanc communiſſimam ſimul appellat *β)* quam Perſæ ceram atque Arabes πρόπολιν nominaſſent. Et ſi Plinium evolvamus, rerum naturalium ſcrutandarum feliciſſimum artificem, utique non deeſt is nobis apta & convenienti declaratione; quandoquidem de apum mellificio *γ)* cum in melliginis genus ex cera & pice ſine reſina miſtum intimius inquirit, tria fundamenta operis hujus jecit, quorum primum Comoſin vocarent periti, ſecundum piſſocêron & tertium propolin, cum quo Varro *δ)* etiam commode

de

α) in Lex. Arab. lat. p. 2278. β) Hieroz. Part. Poſter. p. 530. γ) L. XI. c. 7. δ) L. 3. c. 16.

de componi poteſt. Idem Bochartus in ea quoque eſt opinione, ut arbitretur, ſeniores in verſione Ebræi codicis, errore lectionis deceptus verba Eſaiæ α) כקדח אש המסים מים תבעה אש, non ad ductum literarum ut vulgo haberentur in noſtris Bibliis, transtuliſſe, ſed voce מים pro מום accepta, tum etiam uſitata, hunc reddidiſſe ſenſum: ὡς κηρὸς ἀπὸ προσώπου πυρὸς τήκεται ſecus ac textus originalis exponi ac transferri velit.

§. II. Quod G. J. Voſſius β) ſub titulo Mumiæ adducit, id recurrit ad eandem mentem Virorum Clariſſ. quam jam explicavimus, & Kircherus in alia haud abit, cum originem a Perſarum מומי arceſſi poſſe autumavit γ) ac per exſiccatum cadaver certa ratione conditum corruptionis expers, notationem illam expoſuit. Quibus vero minus aſtipulantur Salmaſius ad Solinum, qvi Mumias qvaſi Momias dictas putat, a thure qvod ἄμωμον vocaſſent,

α) c. 64. 2. β) *de vitiis ſermonis & variis gloſſematis latino barbaris l. 2. p. 248.* γ) *Syntagm. XIII. T. 3. c. 1. p. 396. Oedipi Ægypt.*

ſent, quo condiviſſent corpora: α) Nec forte plures alii, qui de originatione hujus vocis apud Menagium β) & Octavium Ferrarium γ) & Leonardum Fuchſium δ) pluribus videri poſſunt. Non enim videndi hos poſteriores, data mihi copia.

§. III. In *Synonymias* cenſum olim jam varia venere nomina, poſteaquam alii Mumias corpora condita, ſervata, alii medicata funera appellarunt. Ægyptii lingna ſua Gabbaras vocabant, ut autor Auguſtinus eſt, δ) quaſi barbaros & inſulſos ex Iſidori gloſſis.

§. IV. Hic autem non intelliguntur ejusmodi corpora, quæ in Hammoniorum regione, quæ eſt inter Cyrenarum Regionem & Alexandriam, inque arenæ cumulis ſolis calore ex cocta reperiuntur. Hæc enim natura obſtetrice ad hunc durationis ſtatum pervenire ſupra allegatus Kircherus ε) cum aliis tradit, utpote qui in Trans Nilana Africæ regione deſertum in-

α.) *Carol. Du. Freſne Gloſſar. ad ſcript. Med. & Inf. Latinit. T. 2.* β) *in Origg. Gall. p. 812.* γ) *in orig. Ital.* δ) *ad Myrepſum ſect. I. c. 13.* ε) *Serm. 120. de div. c. 22.* ζ) *l. c. 397. Happels Relat. Curioſ. I. p. 702. Dappers Afr. p. 98.*

ingens ſabuli arenarumque cumulis in immenſum porrectum indicat, quod ſabuloſi maris nomen non immerito obtinuiſſet & ventis concitatis tantas arenarum tempeſtates ſubeat, ut arenis in clivos aggeſtis, turbinum violentia& vis eorum occulta opprimendi vitalem intra corpus calorem, tam jumenta qvam viatores, una cum mercibus ſuis, nulla evadendi ſpe relicta, vivos ſepeliant. In hoc igitur ſabuloſo deſerto Mumias ſolius naturæ induſtria confici dum viatorum deſerti tempeſtatibus extinctorum corpcra, tum ſolis tum ferventiſſimæ hujus arenæ pingvioris virtute longo tempore ſiccata toſtaque in hunc ſtatum ἀφθαρσίας degenerarunt. Quæ vero ad noſtram rem tantominus faciunt quanto magis nos de iis tantum corporibus loqvimur, quæ arte magiſtra ſic præparantur, ut poſt mortem in ſera uſqve tempora ſuperſint.

§. V. Neque etiam tendit hoc vocabulo mens noſtra forte eo, ut per Mumias cum Helmontio intelligere velit corporis partem tenuiſſimam, ſpiritualem cuique pro natura ſua ingenitam, in morte & poſt mortem, inqve excremen-

tis

tis, (ſit venia verbo) aliqvandiu perma-nentem, cum affectionum tum virtutum e-jusdem intimarum & propriiſſimarum plurimum abundantem, beneficio cujus interveniente transplantatione varii ſingu-lares & mirandi effectus præſtari poſſint tum in proprio tum in alieno ſubjecto. Ut vita nobis virtus Mumialis ſit, qvæ a dicto Viro ejusqve aſſeclis pro cauſa curationum magneticarum aliarumque abſtruſarum affertur; hæc enim quàm verè dicantur, viderint alii.

§. VI. Multo minus Mumia nobis ſo-lum liqvamen illud ex cadaveribus Æ-gypt. piſſaſphalto conditis denotat, qvod accedit quidem corporibus præparandis, non verò exhaurit totum ἔτυμον & ſum-mam conſiderationis noſtræ. Qvemad-modum apud Math. Silvaticum reperitur cui Mumia eſt id, quod invenitur in ſepul-chris balſamatorum, in quibus humor mortui cum myrrha & aloë reſolvitur, quibus ipſa corpora condiebantur, & ſimi-latur pici marinæ, ut du Freſne α) ex eo nos edocuit. Aut intelligimus forſan cum Nicol. Myrepſo β) per Mumiam no-ſtram

α) l. c. β) MScript. ſect. I. c. 12.

ſtram, *ἆιμα ἀνθρώπȣ τεθνεῶτος τὸ ἐπονομαζόμενον παρ᾽* Ιταλοῖς Μȣμία quod ex du Freſne ſimul didicimus. α) Sed nobis *tota cadavera humana* ſubſternuntur fundamenti loco *vacuatis viſceribus in Ægypto potisſimum unctione artificioſa conſervata, quæ quandoque icones minores & Numina Ægyptiaca intra corpus aſſervabant, quandoque ea in faſciis externis exhibebant, quibus colligata infantis inſtar in teretem figuram coiverunt eo fine, ne facile corrumpantur.* β)

§. VII. Quibus præter ipſos Ægyptios hujus Conſvetudinis initia aſcribamus, nulla fides hiſtorica certe ſubminiſtrat. Eorũ enim ſcientiam non Mathematicam ſolũ complecti, ſed præterea etiam moralem, phyſicam & Theologiam docent Philo γ) Clemens Alexandr. cum quamplurimis aliis δ) Quin imò in univerſum artium & ſcien-

---

α) *Gloſſar. mediæ & infimæ Græcitatis ubi Tom. VII. Opp. Paracelſi p. 167. & Fuchſium L. I. parodoxorum Medicinalium c. 40. ſimul allegavit.* β) *Conf. Blancardi Lex. Med. Græco Latino-Germ. p. 297.* γ) *L. 1. de vita Moſis.* δ) *L. V. ſtromatt. & L. 6. &c. Iuſt. Martyr. qu. 25. ad Orthodoxos.*

entiarum inventionem Strabo & Herodotus Ægyptiis tribuunt, de quibus, ut Medicæ tantum illius nobiliſſimæ artis mentionem faciam huc præprimis ſpectantis, hic poſterior teſtatum reliquit, eam ſic fuiſſe diſtributam inter iſtos, ut ſingulorum morborum fuerint medici. Ait enim πάντα δὲ ἰητρῶν ἐστι πλεάν. Οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν ἰητροὶ κατεστέασι. Οἱ δὲ κεφαλῆς. οἱ δὲ ὀδόντων. Οἱ δὲ τῶν κατὰ νηδὺν. Οἱ δὲ τῶν ἀφανέων νούσων (α) Plinius vero confirmat, β) de ipſis regibus, quod in ea Medicinæ parte quæ anatomica eſt, admodum ſe exercuiſſent & de incidendis cadaveribus ſolicitam ac circumſpectiſſimam ſcientiam ſibi acquiſiviſſent. Et veroſimile quidem, ut ut ab Iſide varia didiciſſe dicantur, eos longe meliora documenta à Jacobo & Joſepho accepiſſe, quorum ille per ſeptendecim annos apud eosdem commoratus eſt, & ſine dubio maximus Philoſophus fuit: hic verò ſapientibus Ægyptiorum à Pharaone magiſter datus eſt & Græcis poſtmodum tradidit Philoſophiæ placita, qui accepta obſcure involverunt, imo mendoſe magna ex parte in ſuis fabulis re-

C tule-

α) l. II. c. 84. β) L. 19. c. 5.

tulerunt, qua de re conſuli poſſunt Clemens Alexandr. α) jam citatus, Eugubinus β) & Natalis Comes γ) ut reliquos magno numero taceam.

§. IIX. Quis proinde dubitaret, an hujus ritus tractandi mortuos autores & illi fuerint, quippe quos inter primos apotheoſeos autores, quam hic mortuorum cultus maximam partem redolet, Kircherus dicto ſuperius loco δ) ſimul refert, quorum animi impia Chami progenie ejusque incantationibus ita perculſi fuiſſent, ut eos veluti cœleſtes Deos adoraſſent ac tanquam rerum omnium moderatores tam ſancte venerati eſſent, ut prima Architecturæ Deorum fundamenta haberi queant. Quid quod ſane quoque inveniri non poſſint, qui arte Ægyptiorum ætatem huic conſvetudini litaviſſent? Quanquam enim id quidem Tacito Annalium ε) conditori & Baronio ζ) adjudicari non debet, quod ab Ægyptiis Judæi condendi & omnem condiendi morem mutuati fu-

α) *L. 6. Strom. non longe a principio.* β) *L. 8. 9. de perenni Philpſophia.* γ) *Mythol. L. 1. c. 7.* δ) *Latii ſui.* ε) *L. 21.* ζ) *Annal. Eccleſ. T. 1. ad A. 34.*

fuiſſent: attamen ex parte, non ex toto falſa fuerit eorum ſententia. Apparet enim ex Hiſtoria ſacra, multo ante quam Ebræi in Ægyptum immigraſſent, condendi morem ab Ipſorum majoribus uſurpatum, ſiquidem ſepulturæ Saræ, Abrahami & aliorum id aperte ſatis loqvuntur. Sicuti pariter morem admovendi aromata cadaveribus, ab Ægyptiis quidem acceperunt Judæi, at modum ipſum condiendi cadavera Ægyptiis uſitatum non unquam didicerunt nec fere uſurparunt. Horum namque conditura fiebat intrinſecus corpora ſecando & inungendo, & illorum tantummodo extrinſecus, aromata applicando & faſciis involvendo: Ut Baronius ſcripſiſſe potius videatur condire pro condere, ubi dixit: *corpora condere, non cremare, e more Ægyptio*, quo ſcilicet conſervationem cadaverum per unctionem & conditaram, opponoret eorundem deſtructioni per cremationem. De qua materia merentur legi Caſaubonus α) (quem, ut ut Schickardus β) cum aliis ſæpiſſime dormitaſſe deprehendit, quando

α) Exercit. 16, n. 169. β) de jure R. Ebr. C. 2. p. 63

ad Hebræa cum maxime ventum eſt, in his tamen minime erraviſſe judicabimus, ubi veritas ſole clarior cujuslibet conſpectum ſubit) Chifletius α) & Grotius ϐ) qvi plura cum jucunditate ſingulari legenda ſuppeditant.

§. IX. Inter cauſas procul dubio Ægyptiacæ hujus conditura referendus eſt occultus ille animarum per μετεμψύχωσιν in corpora regreſſus per Pythagoram deinde in Græciam illatus. Suppono nempe Ægyptiorum dogma fuiſſe, mundi ſtatum poſt triginta ſex millia, vel, ut alii computum faciunt, quadraginta millia annorum ad priſtinum revolvendum, intra quod tempus animæ mortuorum abeant in alia corpora, & finitis tribus juxta Herodotum, vel ſeptem millibus annorum juxta alios, in priſtinum corpus ſemper redeant. Similiter exiſtimo quod animas ad ſphæram ſublimiorem promoveri & totidem annis hanc promotionem repeti ſtatuerint, donec tandem omni iſto tempore præterlapſo anima qvieti ſuæ daretur. Ut igi-

α) *de ſint. Chriſti ſepp. C. 2. p. 6. ſq.* ϐ) *Comment. in N. T. Matth. IX. 23. p. 189.*

igitur toties mutatis ſedibus commoda ſemper habitacula reperire & priſtina absque tædio & faſtidio ex putredine orituro ingredi poſſent, hinc tanta ſolertia mortuos inungendos ac præſervandos judicavere. Videatur Kircherus α) & Olearius. β)

§. X. Quemadmodum autem non negandum prima fronte videtur Symbolicè ſcripſiſſe Pythagoram, eumque Philoſophiam myſteriis involviſſe, ut deriſerit jamdudum Ariſtoteles γ) illos, qui ſibi perſvadent, proprietati verborum accedere interpretationem ſententiæ illius de muſica cœleſti per rotationem circulorum excitanda; & exagitaverint alii eos, qui ejus de non edendis fabis aſſertum proprie & ſecus quam Gellius in Noctibus Atticis de vitanda Venere vel alii id explicandum docuerunt, accipere voluerunt: Sic maxime ſuperiori anno Claudius quidam Delle, Ordini Dominicanorum aſcriptus δ) Doctrinam hujus Philoſophi de

α) *Syntagm. XIII.* β) in der Gottorffiſchen Kunſt-Kammer *p. 74. b.* γ) *L. 2. de Cælo & mundo c. 9.* δ) *in Hiſtoria ſtatus Monaſtici & religioſi c. I, & II. L. 4.*

μετεμψυχώσει ita comparatam putavit, ut ad diſcipulos ejus eo facilius a cibis delicatioribus arcendos inventa & excogitata fuerit. Vix enim credibile putat, Virum iſtum ſapientiæ laude inclytum ſerio ejusmodi errorem errare potuiſſe. Et obſtrepentibus licet Clemente & Origene, quod veram animarum transmigrationem Pythagoræi aſſeruerint, Auctor tamen de quibusdam Pythagoræ ſectatoribus quam de ipſo Pythagora hoc concedere mavult, eosque e diverſo laudat, qui hanc doctrinam aliter intelligendam exiſtimant. Ut prætermittam quæ ibi diſputat, an ad Carmelitarum ordinem Pythagoras referendus & cura Ezechiele Propheta unus & idem fuerit, quod eodem tempore cum illo vixit & eodem docendi genere per figuras & ſymbola uſus eſt, præterea quo veſtimenti genere Pythagoræi inceſſerint & ſimilia. Ea enim ad hanc rem adduxiſſe nil attinet. Dicam tamen, nil deceſſurum neque acceſſurum inde noſtris Ægyptiis, qui Pythagoram non doctorem, ſed hic Ægyptios prædeceſſores in ſua ſententia habuit, ut ſolide id monſtravit ſumme Reverendus Lipſienſis Schmi-

Schmidius α) N edicam ex ſuperfluo, unum eſſe et idem, rei veritate præſuppoſita, ſive cum Doctore ſive cum ſectatoribus Ejus deliraſſe.

§. XI. Nam quod ad ſolius Reſurrectionis ſcopum reſpexerint, ut non ethnicæ impuritatis plus adhæſeit, inane eſt colligere, nec meliora credere quam par eſt de Gentilibus verba quorundam mitiora nos commoveant. Φωκυλίδȣ ποίημα νȣθετικὸν Scaliger Chriſtiani poëtæ quidem opus nuncupavit β) ſine dubio eam ob cauſam, quod inter reliqua egregia monita, quæ ſuppeditat, hanc inſimul doctrinam inculcavit: γ)

ȣ̓ καλὸν ἁρμονίην ἀναλυέμεν ἀνθρώποιο
Καὶ τάχα δ' ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν
Λείψαν' ἀποιχομένων. Ὀπίσω δὲ θεοὶ τελέθονται.
Ψυχαὶ γὰρ μίμνȣσιν ἀκήριοι ἐν φθιμένοισι

α) *Patronus noſter Venerandus in Inaugurali ſua de multiplici animarum reditu in corpora* §. 4 *ſqq.* β) *Adverſ. c. 9. l. 24. conf. Heinſ. Exerc. 26. c. 3. in N. T.* γ) *v. 97. ſqq.*

Non honeſtum eſt hominis compagem reſolvere,
Et mox e terra ſperamus nos in lucem prodituras
Defunctorum reliquias: poſtea vero Dii erunt.
Animæ namque incorruptæ manent in mortuis.

Sed multi dubitant, an Phocylidis poema ſit, quidam & omnino negant. Vide ſis eruditiſſimum Barthium α) qui argumenta in contrarium non inſuper habenda cenſet, cæterum divinum opus appellat, idque & cultu orationis & numerorum aptitudine nulli optimorum vatum concedere arbitratur.

§. XII. Si Tertullianum inter Chriſto addictos audiamus β) *Cur, ait, cellarum promarum potius vocabulo uſus eſt ſacer ſcriptor & non alicujus loci receptorii, niſi quia in cellis promis caro ſalita & uſui repoſita ſervatur depromenda illinc ſuo tempore? proinde enim & corpora medicata condimentis ſepulturæ, mauſoleis, & monumentis*

α) *L. 24. Adverſ. c. IX.* β) *ad Eſ. 26. v. 20. de Reſurrect. carnis p. 327. c. 27. T. 3. edit. Pamelii.*

tis ſequeſtrantur, proceſſura inde cum juſſerit Dominus. *Ac alio in loco: Conſtat non tantum oſſa durare verum & dentes incorruptos perennare, quæ ut ſemina retinentur fructificaturi corporis in reſurrectione.* Neque ſine omine hujus lætiſſimæ ſpei credidiſſe Chifletius *α*) legitur de ſupremo munere ſepulturæ tam ſolicitos Majores fuiſſe. Cum dixiſſet enim, ſe Romæ vidiſſe in quibusdam cœmeteriis figuras demortuorum unctorum rudi manu adumbratas & e vicinis Cairi ſepulchretis allatas, ubi mortua cadavera erecta fuiſſent in capſulis & puer aſtitiſſet virga capita illorum attingens, hæc explicationis ergo verba appoſuit: *Sane cum imagines reliquæ in catacumbis illis Chriſtianæ ſint & Reſurrectionem ſœpius repromittant, uti Jonæ vivi e ventre Ceti prodeuntis, Danielis inter leones intacti, trium puerorum in fornace Babylon. a morte ſervatorum, crediderim ergo, has ad Lazari ſuſcitationem potius referendas, quam primi Chriſtiani in ſpem Reſurrectionis ſepulchris ſuis inſculpi voluerint vel appingi.* Adducit poſtmodum verba Maca-

C 5 rii

α) *l. c. p. 4. & c. 28. p. 172. ſqq.*

rii ex Hagioglyptis, *dum vides*, inquientis, *ædiculam inſtar Templi cujusdam aut ſacelli, ad quam gradibus aſcenditur, in cujus veſtibulo velut puerulus involutus faſciis erectus, quem virga quidam aſtans attingit: infans ille Lazarus eſſe videtur, ædicula monumentum, virga tangens Chriſtus qui Lazarum excitat a mortuis.* Atque ſic tum ſuis tum alienis verbis confirmare annititur probabilem de præſumta reſurrectionis opinione ſententiam. Sed quis tam blæſæ difficilisque mentis eſt, qui non videat, aliud omnino judicium de primis Chriſtianis ferendum eſſe, quibus lux nitidior Evangelii Patrum temporibꝰ, diſcuſſa caligine omnia clarius oſtenderat, aliud de Ægyptiis remotioribus, quibus articulꝰ de Reſurrectione carnis nequidem notus erat, utpote cum ſapientia & ratione humana penitus pugnans. Crediderint enim, teſte Herodoto in Euterpe, animam hominis eſſe immortalem, tamen per μετεμψύχωσιν ab uno ad aliud, beſtiarum etiam, tranſire corpus ſtatuerunt, cui certum revolutionis tempus deſtinabant, cujus termino immortalitatem quidem animæ, non

ve-

vero Reſurrectionem corporis metiebantur. *α*)

§. XIII. Nonnulli igitur, dum conſiderant tam arduam Ægyptiorum curam in conſervandis corporibus a putredine, hanc quoque rationem reddidere, quod ſapientes eorum inhærentes Principiis Philoſophiæ Stoicæ, crediderint, tam diu ab alterius corporis miniſterio liberam fore animam, quamdiu corpus priſtinum duraret. Ita Servius β) *Ægyptii periti*, inquit, *condita diutius reſervant corpora, ſcilicet, ut anima multo tempore perduret & corpori ſit obnoxia, ne cito ad aliud tranſeat.* Quæ ſententia Stoicorum, (qui arbitrabantur animam ſupereſſe eo usque, quo usque corpus ſuperſit eaque propter corpori proſpiciebant ἀφθίτοις ἰάμασι) cum priori Kircheri judicio non coincidit, neque in unum coire poteſt, niſi tota iſtius compages, hac ſalva manente, diſſolvatur.

§. XIV. Petita ſic materia dicendi ab origine & cauſis, res ipſa nunc eo facilius ſen-

α) *Conf. ad dilucidationem hujus materiæ Programma Paſchale Lipſienſe Anni MDCCII.* β) *in ſcholiis ad L. III. Æneid. de Polydori funere. v. 67.*

ſenſibus noſtris percipietur. Herodotus *α*) cujus fides nobis cum Diodoro Siculo omni jure magna eſt & quorum verba ſingula, teſtimonia ſunt, tam luctum quam condituram& ſepulturam cadaverum conditorum pulcherrimo ordineenarravit,ut compoſituri iſtum cum altero illo non minus celebri Hiſtorico non erraverimus, ſi, quod neceſſarium fuit, ex ipſo fonte eo dulcius aquas biberimus.

§. XV. Sic autem cantilenam ille ſuam incipit: *Θρῆνοι δὲ καὶ ταφαὶ σφέων εἰσὶ αἵδε. Τοῖσι ἂν ἀπογένηται ἐκ τῶν οἰκηΐων (β) ἄνθρωπος, τοῦ τις καὶ λόγος ᾖ, τὸ θῆλυ γένος πᾶν τὸ ἐκ τῶν οἰκηΐων τούτων, κατ' ὧν ἐπλάσατο τὴν κεφαλὴν πηλῷ καὶ τὸ πρόσωπον. Κἄπειτα ἐν τοῖσι οἰκηΐοισι λιποῦσαι τὸν νεκρὸν, αὐταὶ ἀνὰ τὴν πόλιν στροφώμεναι, τύπτονται ἐπεζωσμέναι καὶ φαίνουσαι τοὺς μαζούς. Σὺν δέ σφι αἱ προσήκουσαι πᾶσαι. Ἑτέρωθεν*

α) *Hiſtor. ab Henr. Steph. recognita L. II. p. 120. ſqq.* β) *obſervat nota quod forte οἰκηΐοισι depravatum aut pro οἰκήμασι poſitum ſit; ſed cum τὰ οἰκεῖα ſicut τὰ ἴδια domum notent & per notiſſimam dialectum ex οἰκείων, οἰκηΐων fiat iſta κρίσει opus vix fuiſſe exiſtimamus.*

θεν δὲ οἱ ἄνδρες τύπτονται, ἐπιζωσμένοι καὶ οὗτοι. *Quæ latine ſic ſonant: Luctus eorundem ac ſepulturæ tales ſunt: quibuscunque aliquis ex domeſticis deceſſit, homo alicujus momenti, ibi omnes fœminæ illius familiæ caput ſibi & vultum oblinunt luto α) deinde relicto domi cadavere ipſæ per urbem vagantes ſe plangunt, ſuccinctæ nudatis mammillis & cum eis proximæ quæque. β) Altera ex parte viri & ipſi expectorati ſe verberant. γ)*

§. XVI. Quibus reſpondent verba Diodori δ) explicantia quodammodo mentem priorum: ὅταν τις ἀποθάνῃ παρ᾽ αὐτοῖς, οἱ μὲν συγγενεῖς καὶ φίλοι πάντες καταπασάμενοι πηλῷ τὰς κεφαλὰς περιέρχονται τὴν πόλιν θρηνοῦντες ἕως ἂν ταφῆς τύχῃ τὸ σῶμα. οὐ μὴν οὔτε λουτρῶν, οὔτε οἴνου, οὔτε τῆς ἄλλης τροφῆς ἀξιολόγου μεταλαμβάνουσιν, οὔτε ἐσθῆτας λαμπρὰς περιβάλλονται. *Si quis apud ipſos mortem obierit, cognati & amici omnes conſperſis luto capitibus, lamentantes per urbem, quoad cadavere funeratum ſit, cir-*

cum

α) al. limo legunt β) al. affines omnes. γ) al. nudati vel. ſuccincti δ) Biblioth. Hiſtor. L. I. p. 81. ſqq.

cumeunt. Interim a balneis & vino omnique lautiore cibo abſtinent. At nec veſtes elegantes induunt.

§. XVII. Modus ergo lugendi hic fuit apud Ægyptios, ut muliebris & maſculinus ſexus ex ædibus & familia defuncti omnesqve propinqui hoc officium præſtarent, deinde vultum oblinerent luto, (quod de ſolis tamen fœminis Herodotus affirmat, Diodorus autem indefinite eloquitur), tum, ut vicos urbis viri fœminæque ſuccincti obirent & percuterent pectora, (ubi Herodotus item ſolus addit, fœminas ipſas mammas nudas habuiſſe) porro ut a balneis & vino omnique lautiore cibo abſtinerent nec veſtes elegantiores induerent, præterea ut in funeribus capillos promitterent barba licet tonſa, contra aliarum gentium in luctu conſvetudinem, ac tandem luctum hunc extenderent donec ſepultum fuerit cadaver.

§. XIIX. His actis ita demum ad condiendum portabant: Nam ſic ea quæ ſeqvuntur Herodoti verba, nos informant ac inſtituunt. Ἐπεὰν δὲ ταῦτα ποιήσωσι, οὕτω ἐς τὴν ταρίχευσιν κομίζουσι. Ἐισὶ δὲ οἵ ἐπ' αὐ-

αὐτῷ τέτῳ κατέαται καὶ τέχνην ἔχουσι ταύτην. οὗτοι ἐπεάν σφι κομισθῇ ὁ νεκρὸς, δεικνύουσι τοῖσι κομίσασι παραδείγματα νεκρῶν ξύλινα, τῇ γραφῇ μεμιμημένα. Καὶ τὴν μὲν σπουδαιοτάτην αὐτέων φασὶ εἶναι τοῦ οὐχ ὅσιον ποιεῦμαι τὸ οὔνομα ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι ὀνομάζειν. Τὴν δὲ δευτέρην δεικνύουσι ὑποδεεστέρην τε ταύτης καὶ εὐτελεστέρην. Τὴν δὲ τρίτην, εὐτελεστάτην. Φράσαντες δὴ, πυνθάνονται παρ' αὐτέων, κατὰ ἥντινα βούλονταί σφι σκευασθῆναι τὸν νεκρὸν. Οἱ μὲν δὴ ἐκ ποδῶν μισθῷ ὁμολογήσαντες ἀπαλλάσσονται. *Sunt autem certi ad hoc ipſum conſtituti qui hoc ipſum artificium factitant: qui cum ad ipſos cadaver portatum eſt, oſtendunt iis, qui portaverunt, exemplaria mortuorum lignea pingendo asſimilata & eorum unum accuratisſime fabrefactum eſſe ajunt: (cujus ego nomen ſi nuncupavero, haud faciam ſancte) alterum illo inferius ac vilioris pretii, tertium vilisſimi. Quibus expoſitis ſciſcitantur, ab iis ad quod exemplum velint effingi mortuum ſuum. Iſti ubi de pretio convenerunt, illinc abeunt.*

§. XIX. Diodotus vero ſcribit: Τῶν δὲ ταφῶν τρεῖς ὑπάρχουσι τάξεις, ἥτε πολυτελεστάτη καὶ ταπεινοτάτη. Κατὰ μὲν οὖν

τὴν

τὴν πρώτην ἀναλίσκεσθαι φασὶν ἀργυρίου τάλαντον, κατὰ δὲ τὴν δευτέραν μνᾶς εἴκοσι, κατὰ δὲ τὴν ἐσχάτην παντελῶς ὀλίγον τι δαπάνημα γίνεσθαι λέγουσιν. Οἱ μὲν οὖν τὰ σώματα θεραπεύοντες, εἰσί τεχνῖται τὴν ἐπιστήμην ταύτην ἐκ γένους παρειληφότες. Οὗτοι δὲ γραφὴν ἑκάστου τῶν εἰς τὰς ταφὰς δαπανωμένων τοῖς οἰκείοις τῶν τελευτησάντων προσενέγκαντες, ἐπερωτῶσι τίνα τρόπον βούλονται τὴν θεραπείαν γενέσθαι τοῦ σώματος. Διομολογησάμενοι δὲ περὶ πάντων καὶ τὸν νεκρὸν παραλαβόντες τοῖς τεταγμένοις ἐπὶ τὴν καθεσθισμένην ἐπιμέλειαν τὸ σῶμα παραδιδόασι. Quorum ſenſum verborum Metaphraſtes ſic tranſtulit: *Sepulturæ triplex eſt conditio, ſumtuoſisſima, mediocris & vilisſima. In prima argenti talentum inſumitur: in ſecundam 10. minæ: in ultimam perexiguæ fiunt impenſæ. Libitinarii, qui funus curant, artem a majoribus acceptam factitant. Hi cujusque rei in funus impendendæ conſignatione mortuorum domeſticis oblata, quomodo exequias celebrari velint, ſciſcitantur. Ubi de omnibus inter ipſos convenit, acceptum inde cadaver miniſtris ad uſitatum hoc munus conſtitutis tradunt.*

§. XX. Percipimus hinc, Diodorum triplex conſtituiſſe genus τῶν ταφῶν ſ. pom-

pæ

pæ funebri: de ſepultura enim poſtea ſequitur: ſecundum primam impendi *ἀργυρίου τάλαντον*, in ſecundam viginti minas, in ultimam minimas fieri impenſas. Libitinarios artem iſtam habere a parentibus ſive *ἐκ γένους* traditam & in ſcripto quodam defuncti proximis impenſarum totam rationem oſtendere & quærere ab eis quem modum eligere velint, & ubi cum iſtis artificibus conventum fuerit, illos acceptum cadaver miniſtris ad obeundum hoc officium paratis tradere.

§. XXI. Ejusmodi miniſtros autem idem Diodorus duos facit: *πρῶτος γὰρ ὁ γραμματεὺς λεγόμενος τεθέντος χαμαὶ τοῦ σώματος, ἐπὶ τὴν λαγόνα περιγράφει τὸν εὐώνυμον ὅσον δεῖ τεμεῖν. Ἔπειθ' ὁ λεγόμενος παρασχίστης λίθον ἔχων αἰθιοπικὸν, καὶ διατεμὼν ὅσα νόμος κελεύει τὴν σάρκα, παραχρῆμα φεύγει δρόμῳ, διωκόντων τῶν συμπαρόντων καὶ λίθους βαλλόντων, ἔτι δὲ καταρωμένων καὶ καθαπερεὶ τὸ μύσος εἰς ἐκεῖνον τρεπόντων. Ὑπολαμβάνουσι γὰρ μισητὸν εἶναι πάντα τὴν ὁμοφύλῳ σώματι βίαν προσφέροντα καὶ τραύματα ποιοῦντα, καὶ καθόλου τί κακὸν ἀπεργαζόμενον. Οἱ ταριχευταὶ δὲ καλούμενοι πάσης μὲν τιμῆν καὶ πολυωρίας ἀξιοῦνται, τοῖς τε ἱε-*

ῦσι συνόντες καὶ τὰς εἰς ἱερὸν εἰσόδους ἀκωλύτως ὡς ἱεροὶ ποιοῦνται. h. e. Primus enim, quem ſcribam vocant, depoſito humi corpore circa ilia ſiniſtrum latus, quantum inde reſecandum ſit, circumſcribit. Tum Paraſchiſtes (inciſor) ipſis dictus lapidem tenens æthiopicum, ubi carnis, quantum lex jubet, diſſecuit, extemplo quanto poteſt curſu aufugit, perſequentibus eum quotquot adſunt cum lapidum jactu & execrationibus ac ſi piaculum in ipſum avertant. Nam quicunque ejusdem naturæ corpori vim vulnusque aut quoquo modo malum inferat, odio hunc dignum eſſe perſvaſum habent. Taricheotas vero (qui cadavera condiunt) omni honore ac cultu dignantur. Nam ſacerdotibus familiares ſunt & in ſacrarium, ut qui ſacri ſint, libere ingrediuntur.

§. XXII. Quæ eo magis advertenda ſunt quo minus Herodotus de hac diverſitate miniſtrorum aliquid adnotavit. Unum eorum dictum γραμματέα memorat, alterum παραχίστην. Poſito humi cadavere ſcriba ad ilia ſiniſtrum latus circumſcribit, quantum ſit ſecandum. Inde qui παραχίστης appellatur lapide Æthiopico diſſecta carne, quantum lex jubet, curſu ſe proripit

pit, perſequentibus qui aſtant, lapides jactantibus & maledicta tanquam piaculum in ipſum avertentibus. Exiſtimant enim odio dignum eſſe qui corpori popularis vim intulerit & vulnera, aut animo aliquid mali: at curatores funerum in pretio & honore habentur, cum ſacerdotibus familiares ſint & in Templum libere ingrediantur tanquam ipſi ſacri. Atque hi ſunt, quos Herm. Conringius, α) non vero medicos peculiares, ſectioni præfuiſſe obſervavit & ita inter hos illosque diſcernit, quemadmodum apud nos diſtincta ſunt munera medentium & præparantium pharmaca.

§. XXIII Venio nunc ad ipſam Exenterationem & conditurам, quam Herodotus haud perplexe pluribus iisque appoſitis perſpicuisque verbis indicavit, quæ ſic habent: *οἱ δὲ ὑπολειπόμενοι ἐν οἰκήμασι, ὧδε τὰ σπουδαιότατα ταριχεύουσι. πρῶτα μὲν σκολιῷ σιδήρῳ διὰ τῶν μυξωτήρων ἐξάγουσι τὸν ἐγκέφαλον, τὰ μὲν αὐτοῦ οὕτω ἐξάγοντες, τὰ δὲ φάρμακα ἐγχέοντες. Μετὰ δὲ λίθῳ αἰθιοπικῷ ὀξεῖ παρασχίσαντες παρὰ τὴν λαπάρην, ἐξ ὧν*

α) *de Hermetica Medicina L. 1, c. X. p. 92.*

εἷλον τὴν κοιλίην πᾶσαν ἐκκαθήραντες δὲ αὐτὴν
καὶ διηθήσαντες οἴνῳ φοινικηΐῳ, αὖτις διηθέουσι
θυμιήμασι περιτετριμμένοισι. Ἔπειτα τὴν νηδὺν
σμύρνης ἀκηράτου τετριμμένης, καὶ κασίης καὶ
τῶν ἄλλων θυωμάτων, πλὴν λιβανωτοῦ, πλήσαν-
τες, συῤῥάπτουσι ὀπίσω. Ταῦτα δὲ ποιήσαντες
ταριχεύουσι νίτρῳ, κρύψαντες ἡμέρας ἑβδομήκον-
τα. Πλεῦνας δὲ τουτέων οὐκ ἔξεστι ταριχεύειν. Ἐ-
πεὰν δὲ παρέλθωσι αἱ ἑβδομήκοντα, λούσαντες
τὸν νεκρὸν, κατειλίσσουσι πᾶν αὐτοῦ τὸ σῶμα σιν-
δόνος βυσσίνης τελαμῶσι κατατετμημένοισι, ὑ-
ποχρίοντες τῷ κόμμι, τῷ δὴ ἀντὶ κόλλης τὰ πολ-
λὰ χρέωνται Αἰγύπτιοι. Ἐνθεῦτεν δὲ παραδεξά-
μενοί μεν οἱ προσήκοντες, ποιῶνται ξύλινον τύ-
πον ἀνθρωποειδέα. Ποιησάμενοι δὲ ἐσεργνῦσι
τὸν νεκρὸν. Καὶ κατακληΐσαντες οὕτω, θησαυ-
ρίζουσι ἐν οἰκήματι θηκαίῳ, ἱστάντες ὀρθὸν πρὸς
τοῖχον. Οὕτω μὲν τοὺς τὰ πολυτελέστατα σκευ-
άζουσι νεκρούς. Τοὺς δὲ τὰ μέσα βουλομένους,
τὴν δὲ πολυτελείην ἐκφεύγοντας, σκευάζουσι
ὧδε. Ἐπεὰν κλυστῆρας πλήσωνται τοῦ ἀπὸ τοῦ
κέδρου ἀλείφατος γινομένου, ἐν ὦν ἔπλησαν τοῦ
νεκροῦ τὴν κοιλίην, οὔτε ἀναταμόντες αὐτὸν, οὔτε
ἐξελόντες τὴν νηδύν. Κατὰ δὲ τὴν ἕδρην ἐσηθήσαν-
τες καὶ ἐπιλαβόντες τὸ κλύσμα τῆς ὀπίσω ὁδοῦ,
ταριχεύουσι τὰς προκειμένας ἡμέρας. Τῇ δὲ τε-

λευταίῃ ἐξιεῖσι ἐκ τῆς κοιλίης τὴν κεδρίην, τὸν ἐσῆκαν πρότερον. Ἡ δὲ ἔχει τοσαύτην δύναμιν ὥστε ἅμα ἑωϋτῇ τὴν νηδὺν καὶ τὰ σπλάγχνα κατατετηκότα ἐξάγει. Τὰς δὲ σάρκας τὸ νίτρον κατατήκει. Καὶ δὴ λείπεται τοῦ νεκροῦ τὸ δέρμα μοῦνον καὶ τὰ ὀστέα. Ἐπεὰν δὲ ταῦτα ποιήσωσι, ἀπ' ὧν ἔδωκαν οὕτω τὸν νεκρὸν, οὐδὲν ἔτι πρηγματευθέντες. Ἡ δὲ τρίτη ταρίχευσις ἐστι ἥδε, ἣ τοὺς χρήμασι ἀσθενεστέρους σκευάζει. Συρμαίῃ διηθήσαντες τὴν κοιλίην, ταριχεύουσι ἑβδομήκοντα ἡμέρας, καὶ ἔπειτα ἀπ' ὧν ἔδωκαν, ἀποφέρεσθαι. Τὰς δὲ γυναῖκας τῶν ἐπιφανέων ἀνδρῶν, ἐπεὰν τελευτήσωσι, οὐ παραυτίκα διδοῦσι ταριχεύειν, οὐδὲ ὅσαι ἂν ὦσι εὐειδέες κάρτα καὶ λόγου πλεῦνος γυναῖκες. Ἀλλ' ἐπεὰν τριταῖαι ἢ τεταρταῖαι γένωνται, οὕτω παραδιδοῦσι τοῖσι ταριχεύουσι. Τοῦτο δὲ ποιέουσι οὕτω τοῦδε εἵνεκα, ἵνα μή σφι οἱ ταριχευταὶ μίσγωνται τῇσι γυναιξί. Λαμφθῆναι γάρ τινα φασὶ, μισγόμενον νεκρῷ προσφάτῳ γυναικὸς, κατεῖπαι δὲ τὸν ὁμότεχνον. Ὃς δὲ ἂν ἢ αὐτῶν Αἰγυπτίων ἢ ξείνων ὁμοίως ὑπὸ κροκοδείλου ἁρπαχθεὶς, ἢ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ ποταμοῦ φαίνηται τεθνηκὼς, καθ' ἣν ἂν πόλιν ἐξενειχθῇ, τούτους πᾶσα ἀνάγκη ἐστὶ ταριχεύσαντας αὐτὸν καὶ περιστείλαντας ὡς κάλλιστα, θάψαι ἐν ἱρῇσι θήκησι. Οὐδὲ ψαῦσαι ἔξεστι αὐτοῦ ἄλλον οὐδένα, οὔτε τῶν προσηκόντων, οὔτε τῶν φί-

λων. Ἀλλά μιν οἱ ἱρέες ἀυτοὶ οἱ τῦ Νείλυ, ἅτε πλέον τι ἢ ἄνθρωπον νεκρὸν, χειραπτάζοντες, θάπτυσι. Hæc interprete Valla ſic intelliguntur: *At hic relicti in ædibus, hunc in modum diligentisſime condiunt corpus: ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt a) ut quamque partem educentes ita locum ejus medicamentis explentes. De hinc acutisſimo lapide Æthiopico circa ilia conſcindunt atque illam omnem alvum protrahunt: quam ubi repurgarunt ac vino palmeo eluerunt, rurſus odoribus contuſis proluunt: tum alvum complentes contuſa myrrha pura & caſia & aliis excepto thure, odoribus iterum conſuunt. Ubi fecere hæc, ſaliunt nitro abditum ſeptuaginta dies. Nam diutius ſalire non licet. Exactis ſeptuaginta diebus cadaver ubi abluerunt, ſindone bysſina totum inciſis locis involvunt gummi illinentes: quo Ægyptii glutinis loco plerumque utuntur. Eo deinde recepto, propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inſerunt mortuum incluſumque ita reponunt.* β) *Eos* au-

a) nota addit: ipſum quidem ſic educentes, pharnaca vero infundentes.

β) nota; reponunt in loculo vel potius in loco ſe-

autem qui mediocria volunt, nimium fugientes ſumtum, ita apparant: Clyſterem unguine quod ex cedro gignitur complent; deinde ex hoc alvum mortui, ipſam neque ſcindentes neque extrahentes ſed per ſeceſſum, prehenſo viæ poſterioris hiatu, inferciunt, & tot quot dixi diebus ſale condiunt. Quorum dierum ultimo cedrinum ungven, quod prius ingeſſerunt, ex alvo egerunt: quod tantam habet vim ut una ſecum alvum atque inteſtina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit mortuique tantum cutis & oſſa relinqvuntur. Ubi iſta fecere, ex quo ſic tradidere mortuum, nihil amplius negotii ſuſcipiunt. Tertia conditura hæc eſt, qua adornantur eorum mortui qui tenuiori ſunt fortuna: ablutionibus ventrem abſtergunt arefaciuntque ſale ſeptuaginta per dies, deinde tradunt reportandum. Uxores tamen inſignium virorum non ſtatim vita defunctas tradunt condiendas, ac ne eas quidem fœminas quæ formoſæ valde & majoris

 mo-

pulchrorum loculis dicato & rectum ſtatuunt ad parietem, ſiquidem mortuos ſumtuoſiſſime apparant vel adornant. (Quæ verba in translatione græci textus omiſſa, inſerenda ſunt verſioni latinæ.)

momenti fuerint, ſed triduo atque quatriduo ante defunctas. Ea de cauſa facientes, ne cum fœminis iſti ſalinarii concumbant. Deprehenſum enim quendam ajunt, coeuntem cum recenti cadavere muliebri, delatumque ab ejusdem artificii ſocio. Quisquis autem vel ipſorum Ægyptiorum vel externorum compertus ſit mortuus, ſive a Crocodilo raptus ſive ab ipſo flumine, neceſſarium prorſus eſt ei Civitati, ad quam ejectus eſt, condire & quam honeſtisſimo funere ſepelire in ſacris monumentis. Quem ne contingere quidem fas eſt alteri aut proximorum aut amicorum, niſi ipſis Nili ſacerdotibus, utpote majus quiddam quam hominem mortuum tractantibus ad ſepeliendum.

§. XXIV. Quæ prolixe ſic cumulateque diſſeruit Herodotus, illa brevius Diodorus conſtrinxit. Legimus enim ibidem: πρὸς δὲ τὴν θεραπείαν τοῦ παρεσχισμένου σώματος ἀθροισθέντων αὐτῶν, εἷς καθίησι τὴν χεῖρα διὰ τῆς τοῦ νεκροῦ τομῆς εἰς τὸν θώρακα καὶ πάντα ἐξαίρει χωρὶς νεφρῶν καὶ καρδίας. Ἕτερος δὲ καθαίρει τῶν ἐγκοιλίων ἕκαστον, ἐγκλύζων οἴνῳ Φοινικείῳ καὶ θυμιάμασι. Καθόλου δὲ πᾶν τὸ σῶμα τὸ μὲν πρῶτον κεδρίᾳ καὶ τισιν ἄλλοις ἐπιμελείας ἀξιοῦσιν ἐφ' ἡμέρας πλείους τῶν τρι-

ἀκοντα ἔπειτα σμύρνῃ καὶ κινναμώμῳ καὶ τοῖς δυναμένοις μὴ μόνον πολὺν χρόνον τηρεῖν, ἀλλὰ καὶ τὴν εὐωδίαν παρέχεσθαι, θεραπεύοντες, παραδιδόασι τοῖς συγγενέσι τοῦ τετελευτηκότος, οὕτως ἕκαστον τῶν τοῦ σώματος μελῶν ἀκέραιον τετηρημένον, ὥστε καὶ τὰς ἐπὶ τοῖς βλεφάροις καὶ ταῖς ὀφρύσι τρίχας διαμένειν καὶ τὴν ὅλην πρόσοψιν τοῦ σώματος ἀπαράλλακτον εἶναι καὶ τὸν τῆς μορφῆς τύπον γνωρίζεσθαι. *Senſus eſt: Quam primum ad ſecti cadaveris curationem convenere, unus per hiatum, manu ad præcordia immerſa, quicquid inteſtinorum eſt, præter cor & renes extrahit. Alius alvum cum viſceribus ſingulis repurgatam vino palmeo aromaticisque odoribus perluit. Lotum denique cadaver, plures triginta, ungvento primum cedrino aliisque delibatum reddunt. Myrrha deinde ac cinnamomo aliisque non longiori tantum conſervationi, ſed etiam fragrantiæ aptis conditum propinquis reddunt: ubi ſingula corporis membra tantam habeat integritatem ut etiam palpebrarum & ſuperciliorum pili, adeoque tota corporis ſpecies invariata perſiſtat & formæ priſtinæ effigies agnoſcatur.*

§. XXV. Ex his apparet, ταριχεῦσαι illos ſive ſecuiſſe corpora, ὥσπερ οἱ τὰ ὠὰ

τέμνοντες καὶ μέλλοντες ταριχεύειν, juxta Suidam *α*) ante omnia vero cerebrum incurvo ferro per nares eduxiſſe, tum acutisſimo lapide æthiopico circa ilia conſcidiſſe & protraxiſſe illic omnem alvum, quandoquidem unus per ſecturam εἰς τὸν θώρακα omnia præter renes & cor extraxit. Alius quidam unumquodque ἐγκοιλίων ſive inteſtinorum repurgavit diluens vino palmarum & odoribus. Corpus autem totum ungvento cedrino vel συρμαία, compoſito medicamine purgationi adhibito, & quibusdam aliis curarunt ad dies ultra triginta deinde myrrha & cinnamomo aliisque ſpeciebus, prout modus condiendi ab Herodoto tripliciter definitus id præcipiebat, quæ non tantum conſervabant ad longum tempus ſed & fragrantia reddebant corpora. Tempus tamen non unum & idem erat quo condienda funera tradebantur. Ad ſumme evitandum enim quorundam malitiam, quam cum defunctis ſequioris ſexus aliquando exercuerant, poſt triduum vel quatriduum demum curatoribus demandabantur, qui ſua cura ita adornarunt cadavera ut redderentur propinquis in in-

re-

α) *T. II. p. 867. Æmil. Port.*

tegritate priori, qua non tantum unumquodque membrorum ſua diſpoſitione erat, ſed & in ſuperciliis & palpebris pili totque aſpectus ita unus immutatusque fuit, ut formæ lineamentorum agnoſcerentur. Atque idem fatū condiendi ars paraverat violenta morte abreptis, ſiquidem illi ipſi Civitati deſtinabantur ad quam ejecti eſſent & ſolis Nili ſacerdotibus relinquebantur, qui contingerent & pro more tractarent, aliis vel proximis vel amicis in hoc negotio poſthabitis.

§. XXVI. Et hæc fere ſunt, quæ de ipſa funeris paratione ejusque variis generibus digna memoria videantur. Verumtamen non grave ſit Lectori, ſi jam ſubjungimus judicium Viri cujusdam Excellentisſimi, ut videtur, ſolidum, quod non ſine ſale multo reſperſum in Anatomico ſtudio verſatisſimi haberi ſummo jure meretur. Agnoſcit illud autorem D. Gabrielem Clauderum, Medicum Ducalem Saxonicum, qui Anno M. DC LXXIX. Methodum balſamandi corpora humana in lucem edidit, inque eadem de triplici ungendi more, quem modo recenſuimus, c. 4. ſequentem cenſuram fecit : Cum

Herodotus dicit *primo, ante omnia incurvo" ferro cerebrum per nares educunt*, *eſt ea relatio ignoſcenda viro hiſtorico rerum anatomicarum extra dubium imperito. Cui enim e fundamentis anatomicis ſtructura cranii ſitusque cerebri cognita ſunt, fateri cogitur, dictam cerebri per nares extractionem ſine læſione partium cartilaginoſarum in naribus & carnoſarum, cutanearumque in facie atque ita ſine hujus deturpatione non eſſe adeo commodum ac posſibilem. Veritati vero magis conſentaneum judicamus cum Gryphio a) cerebrum ab iisdem fuiſſe commodius extractum per foramen magnum occipitis, prope ſuperiores colli vertebras. Cum deinde dicit: dum alvum omnem re-" purgarunt ac vino Phœnicio expleverunt," rurſus aromatibus contuſis referciunt, rati-" oni phyſicæ magis conforme erit ſtatuere, ut loco expletionis vino Phoenicio factæ corpus hoc eluatur & lavetur. Secundo: primam quam deſcribit pollingendi methodum per applicata & corporibus immiſſa balſamica pretioſa, (quæ juxta nonnullos talenti pretio conſtabant,) utpote fundamentis medicis concordantem aliorumque teſtimoniis confirmatum, ſuo in honore relinquimus.* §.28.

a) *Tr. De Mumiis Uratislav. p. 45.*

§. XXVII. *Quæ vero de ſecundi generis conditura refert, quod ſine apertione ventris, ſola ſalis vel nitri adſperſione ac immisſione olei cedrini in alvum per clyſterem applicatum, quod oleum poſtea reductum ſimul reducat inteſtina tabefacta, mihi, ut hoc credum, perſvadere nondum valeo; ſed ſtatuo Autorem Non Medicum quarundam adhuc neceſſario præſtandarum eſſe oblitum. Quamvis enim huic liquori balſamico per ſiphonem in inteſtina immiſſo ſua efficacia omnino concedatur, tamen quia notum eſt medicis, pharmaca per clyſterem intruſa lethaliter decumbentibus pedemque in cymba Charontis habentibus ſtatim alvo rurſum effluere, partibus nervoſis hæc alias retinentibus, ſed ob ſtuporem ſpirituumque defectum non amplius operantibus: non video quomodo hoc ſtante in corporibus mortuis cobiberi & operari poſtea poſſit. Vel ſi forte vi intonderetur, ad minimum tam cito ad ſuperiora penetrare non adeo aptus eſt; & ſi eo penetraret, ſane antequam per tabefacta (uti loquitur) inteſtina quoque tranſiret ad meſenterium, ſtomachum imo hepar, lienem ipſaque in thorace contenta aſcenderet, eadem ſane putredine corrumperentur; præprimis*

&

& quod quaſi cardo rei eſt, cum illi exterius præter ſolam ſalituram nullum corruptioni reſiſtens ſuccurrat. Salituram autem, aliqualem, non adeo magnam tamen & conſtantem operam conferre huic operi, docet Hiſtoria ex Kircheri Oedipo petenda, imo quotidiana id evincit experientia, cum omnibus patribus familias & Oeconomis conſtet, ſale aut muria conditas carnes, ut & piſces, lucios, haleces & ſimiles, exenteratas tamen, non facile ſupra aliquot menſes vel unicum annum ſine fœtoris ac interitus ſucceſſu durabiles esſe. Ut nihil dicam de hoc, quod unum alterumve horum viſcerum ante obitum e ſtatu morboſo tabo ulceroſo jam dum correpta eſſe potuerint. Propria enim eaque frequenti teſtari poſſum experientia, quanta vis fermentatoria inſit cadaveri vitali balſamo orbato, vitali flamma extincta, cum cruditates & indigeſta in primis viis ſtagnantia per atomos putridas ebullientia ventrem elevent, eundem perforent & qua data porta ruant ac impetuoſe effluant, neutiquam quæſita anguſtiore, alias ſolita gutturis inferioris via & exitu.

§. XXIIX. *Tertio: Quibus ſtantibus genus tertium viliſſimum ipſi dictum, eo quo de-*

deſcribit modo (dum nimirum corpora non exenterata aut diſſecta præparantur ſaltem admota externe ſalis vel nitri conditura) *multo minus erit poſſibile, eique experimenta quotidiana manifeſtiſſime contradicunt; Atque ita hæc erunt condonanda Hiſtorico rei Medico-Pharmaceuticæ ignaro, relata referenti & fortaſſe nimis credulo aut nonnullarum aliarum ſpecierum aut operationum addendarum obliviſcenti.* Verum hæc ad Medicum pertinentia forum, nos Æſculapii filiis ulterius dijudicanda cum Nobiliſſ. Paſchio *a*) ex quo hæc decerpſimus eo magis relinquimus.

§. XXIX. Ecquid vero de Jacobo & Joſepho apud Ægyptios poſt fata ungvento delibutis dicamus, hoc eo facilius ſuppetit. Obſtrinxerat videlicet Jacobus Joſephum ſibi juramento de loco ſepulturæ ſuæ, ut benignitatem hanc cum Ipſo faciat & in Canaan Eum ſepeliat. Factum id ſane divino conſilio non tam Jacobi quam Jacobitarum cauſa, ut is mortuus hos etiam doceret, non eſſe animum eorum Ægypto affigendum, ſed intendendum

a) *in Inventis Nov-antiquis p. 372. ſqq.*

dum ad promiſſam terram velut cœleſtis hæreditatis ſymbolum: & ut Patrum ſepulturam poſteris allectamentum ac ſtimulum & certum poſſeſſionis pignus eſſe confirmaret. Huc enim reſpexiſſe pium ſenem, in Geneſeos ultimo α) Joſephus declaravit, cujus affectus in parentem, quo oculos ipſi clauſit β) & religio, qua erga ſemet ipſum ferebatur, tantos addebant animo turbato ſtimulos, ut, quid prius faceret, hoc deſiderio pio, non haberet. Cum id vero intra ſpatium aliquot menſium non poſſet peragi, factum eſt, ut, ne propter nimium æſtum iſtius terræ corpus fœditatem traheret, deportaturis odore longe jucundiore proſpiceretur. Hujus conditurae datur alias cauſa duplex adhuc: partim civilis, quia hunc honorem magnis viris haberi; conſvetũ, etiam Patri tanquam Prophetæ & Viro eximio voluit habere, partim myſtica, ut eſſet teſtificatio fidei de Reſurrectione corporum & ſymbolum incorruptionis futuræ. Phyſicam vero cauſam jam addidimus. γ)

§. XXX.

α) c. 50. v. 21. & 25. β) c. 46. 4. γ) Vid. Sibel. l. 3 opp. Theol.

§. XXX. Non ita facilis tamen ac omni difficultate ſoluta ζήτησις eſt, qua ex Moſe divino viro quadraginta dies conditura Jacobi impenſi, ſub incudem vocantur. Aſſeruit omninò Herodotus, ſeptuaginta fuiſſe dies ſaliendi & de quadrageſimo numero prorſus tacuit. Error igitur calculi alterutri horum imputandus videtur, quam tamen notam nemini minus quam Moſi θεοπνεύστῳ inurendam rectè judicabimus, niſi autoritatem ejus cum quibusdam temerè infringere velimus.

§. XXXI. Michael Waltherus Theologus olim doctiſſimus & pientiſſimus α) compoſiturus cum his verbis, Siracidis dictum, β) quo ſeptem diebus elugere luctum moris fuiſſe dicit, aliam fuiſſe hac in parte conſvetudinem Ægyptiorum ſcribit, aliam Iſraelitarum. Diſtingvenda eſſe funera magnorum Virorum ab hominum ſortis vulgaris obitu: hos populum Judaicum perpaucis, illos triginta diebus deploraſſe γ) quotquot remanſuri eſſent di-

E es

α) *Harm. Bibl. p.175.* β) *c. 22. 13.* γ) *Num. XX. 28. 29. ex quo quidem loco Procopius etiam collegit, Judæis conditura & luctus ſimul 30. dies tantum fuiſſe. Deut. 34. 8.*

es apud Ægyptios quoque, ſi ex eorum ſeptuaginta diebus luctus, quadraginta conditurae tribuas. In quo quidem ejusdem cum Raſchi eſt ſententiae Theologus celeberrimus ac inſimul Michlol Zophi α) à partibus ſuis habet, quod quadraginta dies ἐνταφιασμοῦ, triginta fletus omni homini magno pariter attribuit.

§. XXXII. Verumtamen non diffiteri poſſum Schotanum minime veritum dicere β) quod nulla ratio cogat, ut tantum triginta dies luctus fuiſſe putemus: quamvis enim dies illi incluſiſſent dies pollincturae, nihil obſtare tamen ut non ſimul luctus & funeratio medicorum proceſſerint, & potuiſſe ſeptuaginta dies funerationem ſequi. Qvod judicium utrum tanti ſit, quanti putandum illud, cui ſubſcribamus, perpendant alii me perſpicaciores. Placent mihi inſigniter verba quae Menochius γ) chartae illevit, quando ſic Ægyptios ſe conformaſſe ſcribit Ebraeorum ritibus in triginta diebus, ſicut Ebraei ſe accom-

α) *in h. l.* β) *in Biblioth. Hiſt. ſacr. V. T. T. I. penſo V. p. 150. ſeqq.* γ) *in Gen. L.*

commodaſſent mcri Ægyptiorum in quadraginta diebus. Unde gratis concidit illud Rabbi Bachai apud Schickardum α) aſſertum, quo Jacobum ne contrectatum quidem manibus affirmavit. Quod ſi illud intelligit reſpectu cruentæ exenterationis, quam omiſſam vero ſimile cum aliis exiſtimamus, nos in hoc demum conſentientes habeat.

§. XXXIII. Ad hanc autem quadraginta dierum curam acceſſere ſeptem alii dies, β) quibus ſepulturæ comites ingenti planctu planxiſſe dicuntur, cum ad Jordanis trajectum perveniſſent. Arbitror ego cum Schotano, illud ante ſepulturam fuiſſe peractum, quanquam ſcriptura S. non commemoret, fueritne in abitu an reditu h. e. ante an poſt ſepulturam factum; & hunc morem eſſe illum perantiquum, quorſum in capite allegato Eccleſiaſtici calamum autor intenderit. Septem enim inſumſere dies Jabeſenſes, jejunio in funere Saulis & Jonathanis decreti, γ) Septem item in nuptiis contrahendis Jacobus, qui & totidem annorum ſervitio partim ſal-

α) in בר״ס *p. 412. β) v. 10. γ) 1. Sam. 31.*

ſe illudebatur, partim blande retinebatur. a) Ut colligi non ſine fundamento poſſit, ſeptenarium olim ſacrum fuiſſe habitum Ebræis, & ſeptuaginta dies illos rationem liberæ hujus conſvetudinis habuiſſe. Quandoquidem ſeptuaginta dies, decies ſeptenarium numerum reddunt & triginta dies, quatuor hebdomadas, hoc eſt, quater ſeptem dies conſtituunt. Et quemadmodum in ſacro cœtu fieri ſolet; ſic vero propius eſt, in lugebri hoc ſeptenario actu admonitiones fuiſſe propoſitas de cauſis mortis & miſeriarum humanarum futuraque reſurrectione. Licet enim Pontificiæ fidei addicti conjiciunt, preces pro defunctis fuiſſe fuſas à piis, & in eorum funeribus fuiſſe tractata, quæ ad ſolatium animarum facerent, dicunt tantum, non vero probant, neque vel ſtramineo id argumento unquam probare poterunt.

§. XXXIV. Tranſeo ad ea, quæ de Joſepho Jacobi filio hac occaſione dicenda veniunt. Cum ſic patris mandato ſatisfeciſſent & tranſtuliſſent corpus Jacobi in terram promiſſam, redierunt fratres cum

a) *Gen.* 29.

cum Joſepho in Ægyptum. Cur non in terra iſta fixam tum ſedem elegerint, alibi ſatis apud bene multos Interpretes dicitur. Non abeundum videlicet erat ex Ægypto, niſi Deo vocante, qui eos eò deduxerat α) & qui ſubjecerat ſervituti ut affligerentur quadringentis annis β) quemadmodum perſpicue ſatis textus Spiritus S. contra Iſaacum Voſſium id teſtatur, qui ultra ducentos quindecim annos non habitaſſe in Ægypto tradidit & ea propter Baillio vapulat. γ) Neque erat conditio eorundem tam atro carbone notanda ut relinquere illam, conſultius ducere debuiſſent. Joſephus erat præcipue alligatus & obligatus Ægypto, quippe qui in eam ſupremum poſt Regem dominatum obtinebat & ſubducere ſe ſubdolo vel furtivo modo non potuit. Qualia ergo fata huic Deus omnipotens decreverat, talia etiam manſerunt pium ſenem ad ipſam mortem, ut hanc in eadem terra ſubterfugere eo minus potuerit, quo certiora documenta de loculo, in quo conditum ejus

α) c. 46. 4. β) c, 15. 13. γ) operis Hiſt. & Chronolog. l. I, p. 35.

corpus & repoſitum eſt, in SS. literis habentur, in perpetuam illius memoriam expoſita. *a*)

§. XXXV. Quod ſi vero recte memini duæ ſunt præcipue in Ejus fata funebria Rabbinorum ſententiæ, quorum alii exiſtimant, cadaver Joſephi fumo fuiſſe toſtum & in aquis Nili contra putredinem diutisſime aſſervatum, donec univerſus populus ex Ægypto egreſſus id ſecum in terram Cananæam aſportarit. Quod effatum ex Targum Uzielidis Schickardus adduxit β) qui eodem in loco de R. Abraham Seba refert, quod in ea opinione fuerit, ut ſi hoc factum eſſet in contemtum illius terræ, quæ hoſpitio tanti Viri indigna fuiſſet, ſimul vero in præludium vel typum ſuffocationis infantulorum; ubi & contrariam ſuam ſententiam iſti priori ſubjicit, qua potius phyſicam ſubfuiſſe cauſam arbitratur, quæ putrefactionem arcuerit & juverit perennitatem, ſi modo ſatis certa ſit ea traditio. Iidem porro ajunt hæc oſſa plusquam ſeculo poſt extraxis-

α) *c. 50. 26. Geneſ.* β) *in* [illegible] *p. 413. c. 6. theorem. 9.*

xiſſe Moſen inde migraturum α) etſi hic deſudent ingenia Talmudica quomodo loculum in vaſtiſſimo flumine poſt tantum temporis intervallum invenerint, aut quorum artificio inde ſublevarint, quem metallicum vel æneum fuiſſe dictitant, tandemque confugiunt pro more ſuo ad Schemhamphoraſch, quod vero Apeliotes quis vix credat.

§. XXXVI. Alii non verentur dicere, defunctum non in ipſis Nili aquis, ſed ejus tantum ripa ac ora extrema conditum fuiſſe β) & illi ipſi marmoreum ſarcophagum pro æneo ſubſtituunt, quale quid Patricides Arabs ſibi perſvaſit, ut Hottingerus omni fide dignus confirmat. γ) Celeberrimus VVagenſeilius δ) quando in originem hujus opinionis de Joſephi cadavere in Nili fluentis ſepulto inquirit, ad autorem notarum remittit, quæ Jonathani in Pentateucho, qui cum tribus Targumim editus eſt, in margine adjiciuntur, & quia frivolas rationes judicat, eas ſilentio æquo

α) *Exod. 13. 19.* β) *Wagenſeilii Sota c. 1. ad excerpta Gemaræ p. 300.* γ) *in Smegmate orient. p. 378.* δ) *ibid.*

præterire mavult quam illud non indicare quod ex Sepher Hajaſchur *α*) ad hanc rem plus conferre deprehendit, ubi leguntur verba: וישימו את יוסף בשמים וכל מעשה רוקח ויקברוהו על שפת היאור הוא שיחור בארון אשר מלא quæ ſignificant conditum Joſephum in arcam aromatibus omnisque generis ungventis plenam & ſepultum eum in ora fluminis Schichor. Hunc vero fluvium eſſe Nilum, Chriſtiani Judd. tradunt interpretes. *β*) Verum enim vero contrariari hæc utriusque Abramidarum aſſerta puris Scripturæ S. fontibus; quis eſt qui non videat? Turbet is neceſſario aquas hujus limpidiſſimi maris, qui impura ejusmodi figmenta ingerere, quam reconditas gazas ſic egerere mavult. Idem enim quod de Jacobo dixerat calamus θεόπνευστος, affirmat in præſentiarum quoque de Joſepho, eoque ipſo, ſi non parem omnino curandi, tamen ejus ſepeliendi modum nobis præſcribit.

§. XXXVII. Hos Judæorum mores in Ægypto, Judæi Palæſtinam incolentes poſt- mo-

α) *p. 118. quæ pagina ap. eundem citatur.* *β*) *in Joſ. 13.3.*

modum ex parte imitati ſunt. Nam Baronius α) ex præcepto Gamalielis ſenioris, quem inter ſacerdotes pariter ac ipſum populum autoritate multum valuiſſe ſcribit, hunc familiarem Judæis factum fuiſſe ritum diligenter obſervavit. Is cum vidiſſet, excreviſſe tantum apud Hebræos impenſum funerum, ut ejus magnitudine cognati perterriti, relicto cadavere aliquando ſe ſubducerent, ejus ſententia factum eſſe, ut non niſi lineis linteaminibus, iisque non magni pretii corpora defunctorum obvolverentur; in quo nullam voluerit haberi rationem cujusvis ordinis aut dignitatis, etiamſi regali quis affulgeret amplitudine, eoque modo ſe ipſum ſepeliri curaverit. Clarius adhuc ritum hunc explicat ex ſcriptis Ebræorum Chifletius β) ubi viros virorum, fœminas fœminarum curare conſveviſſe cadavera narrat, eosque oculos imprimis clauſiſſe defuncto, & ora ſtrinxiſſe faſcia, tum totondiſſe capillos corpusque laviſſe, hinc ungventis unxiſſe, cadaver delibutum obvolviſſe linteis, ſicque curatum poſuiſſe in

 ſe-

α) ad A. 34. n. 136. β) l. c. c. 4. p. 16. ſqq.

ſepulchro. Quæ omnia & ad ſanctiſſimum noſtrum ſalvatorem applicat & Beatam Virginem matrem *Chriſti oculos* clauſiſſe credit, quod a matribus olim id officii filiis exhiberi ſolitum, & quod Euryali mater apud Maronem maxime ploraſſet, quæ oculos filio minime preſſerit. A *capillorum inciſione* abſtinuiſſe in damnatis Judæos, quod maledictioni legis obnoxii eſſent, Chriſtumque intonſo capite ſepultum quod a perfidis ſententiam paſſus eſſet. Si in *lotionem* inquiras, B. Virginem lacrymis Chriſti plagas emundaſſe & Chryſoſtomum *α*) ex antiquioribus probaſſe, plures corpori dominico fuiſſe adhibitos, qui id opus peragerent, imo ſordes pretioſas ac mundas ex abluto corpore Chriſti collectas & à Balduino Hieroſolymitano rege ad ſuos Flandros è Palæſtina miſſas per Abbatem Bertini. β) Lotionem ſecutam *unctionem*, in qua aliter Ægyptii, aliter Judæi ſe habuiſſent. Illos corpore exenterato, hos extrinſecus condimenta adhibere ſolitos. Scripturam

α) *Hom. 84. in Johannem*; β) *ex Lorin. Comm. in Act. Apoſt. c. 9.*

ram S. proinde τὸ ἐνταφιάζειν ſ. ἀλείφειν ſic acceptam velle, ut de externa aromatum applicatione exponatur: & indicatam eam jam dum â θεανθρώπῳ, dum in vivis fuiſſet & ad ungendum eum Nicodemus primum ferens mixturam myrrhæ & aloes veniſſet α) & iterum, cum tranſiſſet Sabbatum, Maria Magdalena & aliæ piæ fœminæ. β) Tandem *involviſſe linteis* confirmat, quod verba qvædam Eccleſiaſtici γ) viderentur præcipere & concors Evangeliſtarum calamus ſolicite probaret. Qualis vero ſindon illa fuerit, qva nudo corpore indutus fuiſſet, altioris eſſe indaginis & materiam evolutione non indignam, quemadmodum & eandem cum cura latius deduxit. Videri ſibi ex loco Johanneo δ) ubi ἔδησαν ligaverunt, legeretur de Chriſto, ſuturam plane hoc vocabulo excludi à Iudaico ritu, juxta quem Lazarus ligatus fuiſſet manus & pedes κειρίαις vel faſciis ſepul-

α) Job. 19. 39. ad quem locum meretur evolvi Dan. Heinſius in Ariſtarcho ſuo P. II, c. 15. p. 955. ubi μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης præprimis urget & non ſeorſim ſpecies has adhibitas fuiſſe demonſtrat. β) Marc. 16. γ) jam citato

pulchralibus ex tela contextis, linteo inciſo: neqve per transverſum ſed in longitudinem, ſicut intextum eſſet, ſectione ad ſtamen directa: & ſudarium anteriorem & ſuperiorem reſupini corporis partem à vertice ad calcem obtexiſſe, poſtquam lotum & ungventis delibutum fuiſſet. Ut tranſeam ſicco pede, quæ præter ſomnia adducta de lacrymis Mariæ, adhuc de faſciis infantiæ ſalvatoris ex Baronio & aliis adjunxit, quas Eudoxia habuerit Theodoſii conjux à Juvenale Hieroſol. Epiſcopo acceptas & transmiſerit Pulcheriæ Auguſtæ, quæ collocaſſet in Templo τῶν ὁδηγῶν viæ ducum, cum imagine B. Virginis à S. Luca depicta. Has enim diviſas non tantum variis in locis, cum Chifletio, ſed potius cum vanitate ipſa, penitus nullas & ridiculas factas eſſe certo putamus.

§. XXXIIX. Tranſiit hic mos deinde ad Chriſtianos, ut ex Patrum ſcriptis manifeſtum eſt. Tertullianus ſiquidem α) in-

α) *Apolog. c. 42. T. I. p. 72. quæ Franciſcus Zephyrus ita expoſuit. p. 73. Ne mercatores quidem exotici conqueri de Chriſtianis merito poſſunt.*

inquit: *Thura plane non emimus, ſi Arabiæ queruntur, ſciant Sabæi pluris & carius ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligári, quàm Diis fumigandis.* Idem α) *Proinde enim & corpora medicata condimentis ſepulturæ mauſolæis & monumentis ſequeſtrantur.* Plura teſtimonia Patrum qui deſiderat, videat ap. Kirchmannum. β)

§. XXXIX. Sed nunc retro legendum iter eſt & revertendum in illa curricula, quæ reliqui antè. Extra omnem controverſiæ aleam poſitum, balſamum, quod â בעל סמים Druſius γ) cum aliis deducit, & veluti Dominum aromatum dictum putat, opus fuiſſe maxime, ut effectus iſte eliceretur, qui ad perennem ἀφθαρσίας ſtatum inducat. Neque etiam qvis eſt, qvi ea de re litiget aut in jus eat, ſi modo de ſpeciebus ſecum ita convenirent, ut non alias atque alias adhibitas diverſimode condemorarent.

§. XL.

Nam ſi odores Arabicos ad ſuffitus Deorum non emimus, in ſepeliendis tamen cadaveribus majorem copiam thuris abſumimus. Quod & Fr. Junius in ſuis notis confirmat. α) *de Reſurrect. carnis.* β) *de funer. Romm. L. I. c. 8.* γ) *ad difficiliora loca Pentateuchi p. 156.*

§. XL. Traditur communiter Ægyptios mortuorum corpora componentes, aromatibus, myrrha, caſia, aloë, ſale, cedro, cera, melle, bitumine, pice aliisque odoribus compleviſſe. Et ſi naturam quarundam ſpecierum conſulamus, de cera ſane inſervitura durationi ut & de *melle* aliisque nonunquam dubitatum eſt. Scythas ipſe Herodotus refert α) regis mortui corpus κατακεκηρωμένον per totam regionem circumtuliſſe, antequam terra condidiſſent. Alibi de Perſis β) κατακηρώσαντες inqvit, τὸν νεκρὸν γῇ κρύπτουσι. Quod & Cicero non negat γ) qui Perſas cera circumlitos condiiſſe ſcribit, ut quam maxime diuturna corpora permanerent. De *ſale* paria comprobat fides & rei veritas. Conſtat ex Ezechiele δ) qui ſupra omnem domeſticam autoritatem valet, quando inquit: והמלח לא המלחת ſeu plebem Israeliticam, quæ prope interitum erat, ſale non ſalitam ait, quod in more compoſitum fuerit, infantes veluti condire iſto aromate, ne cito, ingenito ſibi mor-

α) *L. 4.* β) *L. I.* γ) *L. I. Tuſcull. Quæſt.* δ) *Ez. c. 16. 4.*

mortis ſemine, computreſcerent. Nihil aliud enim ſibi volunt verba Hieronymi α) ubi aſſeruit, *tenera infantium corpora, dum adhuc uteri calorem tenerent & primo vagitu laborioſæ vitæ teſtarentur exordia, ſolere ab obſtetricibus contingi ſale ut ſicciora fiant & conſtringantur.* Hoc vero item ex medicinæ præcepto factum. Nam Galenus β) eandem tuendæ valetudinis infantis rationem præſcribit, ut primum ſale modico inſperſo cutis ejus denſior ſolidiorque iis, quæ intus ſunt, partibus reddatur. In utero enim cum reliquis æque mollis erat, cum nec durius ullum externum corpus inibi contigerit, nec aër illi usquam frigidius inciderit. Quam tractationem vero noſtra molliſſima hæc ætas & non tantum non ſalis perfricationem ſed ne levem quidem inſperſionem admittit. Non abſimile quid operatur *cedrus*, qvæ cariem non ſentit, & opera quæ ex ea conſtruuntur, permanere facit ad æternam diuturnitatem. Ut enim Plinius autor eſt γ) Numæ libri tamdiu duraverunt, quod

α) *in b. l.* β) *L. I. de ſanitate tuenda c. 7.* γ) *L. 13. c. 13.*

quod cedrati fuerunt. Itaque & ſimulacra Deorum ex ea veteres factitaſſe firmat Virgilius, quando ſcripſit:

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua ex cedro. α)

Ubi Servius addidit: *quod lignum non facile conſumitur vetuſtate: & oleo cedrino peruncta cariem non ſentiunt.* De cæteris ſimile judicium eſto. β)

§. XLI. At enim vero nihil obſtat quo minus ſolertiſſimus Nardius, M. Ducis Etruriæ quondam Medicus, dum diſſecuit corpora Ægyptiorum ſatis multa, ſe præter aſphaltum, quod in mari Sodomæorum legitur, nullo alio aromatici generis apparatu condita reperiſſe perhibuerit. γ) Hinc enim eſt, quod ex eo ſcribit Kircherus: δ) *Nemo ſciens ſe traduci patiatur imposterum. Speravi olim miram fragrantiam a medicato funere tot tantisque infarcto aromatibus: verum ſpes me fefellit, ſolumque fuit obvia gummi graveolentia poſt denudatum cadaver. Sciſcitor curioſus calva-*

α) *L. 7. Æneid. v. 177. ſqq.* β) *conf. Camerar. Hor. ſubciſ. Cent. II. c. 70. & 71. (de perpetuitate ariæ cedri & cupreſſi)* γ) *in Comment. ad Lucretium* δ) *Oedipi l. c. p. 397.*

variam, eodemque gummi intus illitam deprebendo. Tum vero me omnem operam luſiſſe libere ſum faſſus, dum partes cadaveris ſingulas attentius examino, alteque gummi imbibitus video. Fregi, diſcerpſi, oſſibus neque peperci, gummi ubique redolent ac ſapiunt. Serus ego damnavi tandem propriam credulitatem longumque vale dixi Ægyptiis technis. Et utut deinde ſubjiciat Nardius: *non negarim tamen Regum cadavera opobalſamo, ſtacte, aloe, croco, cinnamomo & ſimilibus curata fuiſſe: verum ſingularis & infrequens fuit illa conditura;* concludit tamen: *compares profecto & ſuperioribus congeneres hæ ſunt nugæ, puræ nempe meraque mendacia ſalitorum, ut alienas emungerent crumenas. Quandoque cadavera ſingula Ægypt. conſuta obſervamus, intusque eodem bitumine late ſuperque infarcta. Unica proinde erat conditura cujuscunque ſortis mortalibus, diſpendioſior divitibus fraude libitinariorum.*

§. XLII. Nulla autem ſolida nobis apparet ratio, cur ab Herodoti & Diodori Siculi ſententia ita prorſus abeamus, ut ne majorem illis tribuendam fidem arbitre-

F mur

mur, quod propiores vixerunt iſtis temporibus & Mumiæ excellentisſimi generis rarius allatæ mixtum aromatum odorem ſpargunt. Id quidem concedi poteſt facile, (nota enim adhuc fraus in hac re eſt) poſſe ſolum apſchaltum in quibusdam cadaveribus, imo in plerisque adhibitum fuiſſe, interim tamen, quod in omnibus hoc ſolum locum habuerit, ex quibusdam exemplis, quæ afferuntur, nondum evincitur. Largimur autem lubentius Nardio, quod, quomodo aſphaltum præparatum fuerit & per intimam corporis ſubſtantiam imbibitum, in duram & conſiſtentem eſſentiam degeneraverit, ipſi non fuerit imperſcrutabile. α) D. Nehemias Gren, membrum nobiliſſimum Regiæ ſocietatis in Anglia, quando in hanc de Mumiis inungendis materiam incidit, dicit de iisdem, quod non tantum molliores partes conditura balſamica undique penetraverit, ſed & ipſa oſſa ita infecerit ut penitus nigra reddita aduſta quaſi viſa fuerint. Unde per probabilem conjecturam collegit, quod

α) ejus verba videas ap. Kirch. l. c. p. 398.

quod Ægyptii ungenda corpora coxerint in caldadio, in certa quadam ungventi liquidi ſpecie, donec aqueæ partes corporis exhalaverint, oleoſa vero & gummoſa balſami ſubſtantia penitus ſe inſinuaverit *α*)

§. XLIII. *His temporibus* nullum dubium, quin cadavera duplici modo à putredine vel corruptione per plures annos liberari poſſint, mediante ſcilicet vel liquore vel ſicca unctione. Inde factum, ut Ludovici de Bils Domini in Coppensdamme, Boonen &c. Prætoris civitatis & territorii Aerdenburgici, nec non in Univerſitate Lovanienſi Profeſſoris Honorarii inventio, qua cadavera diverſi generis non tantum ſatis diu à corruptione libera ſed etiam apta conſervavit, ut quoad minutiſſima, vel ipſis diebus canicularibus ferventiſſimis per octo aut plures hebdomadas ſecari potuerint, magno in pretio fuerit habita, & D. Gabrielem Claudetum Medicum ſuperius laudatum permoverit, ut arcano hoc nimis arcano, A. M.DC LXXIX. ſcripſerit methodum balſa-

α) *vid. Act. Erud. A. 82. p. 2. Menſ. Jan.*

mandi corpora humana aliaque majora ſine eviſceratione &ſectione hucusque ſolita, quam haud inferiorem Bilſiana,imo ob certas circumſtantias præſtantiorem eſſe perſvaſus eſt. Tale artificium conſervandi excogitarunt præterea Cl. Steno & D. Fridericus Ruyſchius, Sed vero Tob. Andreæ, Prof. Medicinæ & Philoſoph. in Acad. Electorali, quæ eſt Duysburgi ad Rhenum, oſtendit in epiſtola A. M. DCLXXXII. ſcripta, cujus epigraphe: Bilanx *exacta Bilſianæ & Clauderianæ balſamationis*, D. Clauderi inventam methodum durationis corporum non minus ac veterum longe a Bilſiana differe, efficacia, effectu & præſtantia, & vel octuplicem differentiam animadvertit, perfectiore ſic reddita arte, quam gravamina alias multo plura ſecutura fuiſſent. α)

§. XLIV. Methodi quæ fit beneficio ſuccini, ipſe B. Morhofius meminit β) ita ſcribens: *Cum Amſtelodami viverem, vidi apud Theod. Kerkringium inſigne artifici-*

α) *vid. eruditiſſ. collectores Act. Lipſ. A. 83.* M. *Jul. p. 270. ſq.* β) *in epiſt. ad Langelottum de metallorum transmutatione p. 49. 50.*

ficium, ſolo ignis miniſterio, nec ulla re alia addita, ſolvendi ſuccinum. Nam oſtendit mihi cadavera infantium ſuccino obducta, ut omnia membra transparerent; Monſtravit etiam phialam tali ſuccino ſoluto iterumque coagulato impletam. Quam ſplendide, addit, jam magnatum cadavera condiri ac a putredine præſervari poſſent. Nam citra ultam eviſcerationem corporum, contra omnem injuriam aeris & humorum nova hac e ſuccino tunica quaſi cataphracti jacerent. Quibus profecto verbis egregium quidem detexit arcanum, ſed difficultatem, quo modo ſuccinum liquari vel ſolvi poſſit, ne perdat pelluciditatem, judicante Cl. Pashio; cui hæc debemus, reliquit maximam. α)

§. XLV. Introſpicientes vero in ipſa Mumiæ penetralia, offendimus primum omnium in his vacuefactis & ungvento vel oleo aſperſis corporibus, Iſidem incluſam fuiſſe, quam tamen alii cum CL. Gryphio β) faſciis, non pectori erutam exiſti

α) *conf. differentes inter ſe Thomam Bartholinum in Actis Medd. & Philoſ. Hafnienſ. Anni 71. & 72. Obſervat. 57. Joh. Wigandum in Hiſt. Succin. Boruſſ. Kircheri* Mundum *ſubterr. L. 8. ſect. 3 c. 4.* β) *in Mum. Uratiſlav. p 52.*

ſtimant. Erat enim Iſis patrona ſingularis Ægyptiorum; & dicit Voſſius α) Vir iſte mirabilis & de quo merito dubites, utrum majorem a doctrina & ingenio, an à modeſtia laudem mereatur, quo elogio Bochartus β) eum inſignivit, coluiſſe Ægyptios mundum ſub nominibus Ammonis, Oſiridis & Iſidis &c. neque per Ammonem tam intelligi debere conſpicua vel elementorum vel ſiderum corpora, quam vim occultam toti inſitam naturæ, ab Ægyptiis etiam Iſidem dictam & cultu ac inſcriptionibus variis iisque admodum decoris celebratam. Idem adducit quoque ſententiam aliorum, qui per Iſidem (& quid mirum, cum μυριώνυμος dicta ſit γ) lunam intelligi ſtatuerunt & non univerſam ea voce naturam ſed infimum planetarum deſignari arbitrati ſunt, cujus capiti ea propter cornua addita fuiſſent. Sed qvicqvid tandem hujus ſit, ſit tamen exinde cuilibet manifeſtum; ſubfuiſſe ſuperſtitionem ingentem, qua ſine dubio perſva-

α) *in Theol. Gent. L. 7. c. 2. p. 313. ſq.* β) *Geogr. Sacr. p. 485. & 864.* γ) *Seldenus de DIs Syris Prolegom. c. III p. m. 55. conf. & priora.*

ſvaſerunt ſibi, Deam hanc vel ſub hoc vel illo velamine cultam corpora cuſtoditu-ram eſſe, ne per injuriam & longævitatem temporum adverſi qvid iis accidat. Conferatur de Iſide Caſalius α) deque triplici ejus figura ut & myſtica Interpretatione. Imo inſuper intra Mumias aliquando erant faſciæ innumeris hieroglyphicis ſignatæ & in voluminum morem contortæ, in qvibus abſolutiſſimam pompæ funebris rationem & formam expreſſerunt, referente Dappero. β)

§. XLVI. Cum *incluſa hac* Iſide inſutæ interdum erant corporibus plures æneæ icunculæ, quas Laurent. Pignorius γ) fictiles appellat, & de quibus, cum de Oro dixiſſet quod Ægyptii ejus nomine mundum interitui & ortui obnoxium intellexiſſent, ejusqve imago ad faciem pueri acceſſiſſet involuti faſciis & compoſitis pedibus, ſubjungit, eas paſſim in thorace conditorum funerum ex Ægypto ad nos advectorum Aromatarios reperire. Nempe hæc ſunt procul dubio παραδείγματα iſta

α) *l. c. c. 13. p. 27. 38. & 42.* β) *in Africa p. 96.*
γ) *Menſa Iſaica p. 51.*

ξύλινα ſive materialia ἀπὸ ξύειν τὴν ὕλην dicta qvorum ſupra. §. XIIX. mentionem fecimus, τῇ γραφῇ μεμιμημένα, qvæ qvis, ut nonnulli arbitrantur, rectius per imagines cadaverum conditorum perqve exemplaria eorundem vertit, quam pro ſignis Numinum accipit, qvæ defunctus coluerit in vita, vel pro Canopi ſimulachris, vel Iſidis aut Oſiridis imaginibus. Qvanqvam & contra ſentientibus in omnibus non refragari velim & prope putem, Moſen loquentem α) de Ægyptiorum piis, per גלולים qvos Junius & Tremell. per Deos ſtercoreos tranſtulerunt, ad Iſidis & aliarum imagines reſpexiſſe, cum probatu facile, ſub ſcarabæi putidi ſpecie eos Iſidis ſimulacrum circumtuliſſe & coluiſſe. Imo ſcarabæum ab iisdem divino honore cultum. β)Reperiebantur enim in corporibus conditis ex argilla ſtercorea materia aut alia ſolida materia confectæ & indicabunt poſteris, qvonam condituræ ritu cadavera ſingula medicata; an cum hieroglyphicis ſignis

α) Deut. 29. 16. Levit. 26. 30. β) Plutarch. L. de Iſide et Oſiri de.

ſignis & notis, an aliis duabus minoris ſumtus condituris; qvove pigmenti artificio, rubrone, ſubviridi an cœruleo ornata fuerint. Verba Radzivilii hoc eo magis illuſtrabunt, Principis S. Imperii, in peregrinatione ſua Hieroſolymitana ipſiusmet diligenter ſepulchra Ægyptiorum ſcrutati. Hic idola illa ex argilla cœrulei vel violacei coloris ad unius digiti longitudinem fabrefacta eſſe teſtis oculatus affirmat α) qvædam vero etiam minora fuiſſe probat formam infantuli faſciis circumligati, adjectis multis Ægyptiorum characteribus, exprimentia. Et nullus addere dubitavit, qvalia idola, talia fuiſſe corpora linteis involuta, qvæ ob antiqvitatem adeo marcida forent, ut papyrum combuſtam, qvæ nigreſcit & facillime diffluit, imitentur. Neqve eo ſecius teſtem Camerarius ſe ſiſtit β) qvi Venetiis apud Lauretanum, poſtea Ducem Venetorum electum, ſimile qvid vidit. Qvod autem & æneæ nonnunqvam fuerint, non disqviſitione multa opus habet. Ut enim

α) *epiſt. III.* β) *Hor. ſubciſ. Cent. I. c. 14. p. 85. vel 59.*

de perpetuitate æris apud eundem Camerarium α) plura jam dum lecta digniſſima ac jucundiſſima dicta ſunt: ſic Ægyptii credebant qvoqve, æs non tantum ſe ipſum a putredine & ærugine qvamdiutiſſime conſervare, ſed etiam adverſus putreſcentia peculiarem vim qvandam habere. Qvanqvam ſuperſtitionem acceſſiſſe aliqvam nemo pariter inficiabitur.

§. XLVII. Eadem perſvaſione ductos Ægyptios, qvis dubitet, cum ori quorundam de ſorte nobiliori cadaverum, aureum incluſere folium? Talismodi offendit Gryphius Cl. in Mumia Uratislav. β) qvi ne qvid intactum curioſis eſſet, excusſit, qvicqvid faucibus abditum & reperit inter ungventa complicatum puriſſimo ex auro folium, crenis inſigne ac mirandæ tenuitatis: utqve pondo exegit, non niſi decem, ut vocant, granorum fuiſſe comperit. Num hoc forte naulum illud ſit, de qvo Gaſſendus cum Peireſcio qvondam inſtituit ſermonem γ) & facta inveſtigatione in capite Mumiæ alicujus ex involu-

α) *Cent. II. c. 71. p. 410. ſq.* β) *p. 46.* γ) *Gaſſendus in vita Peireſcii l. 4. p. 153. m.*

lucris evoluto fruſtra qvæſivit, illud vero non omnino abſimile videtur. Mitto tamen hoc ſuo loco &

§. XLIIX. Ad icones externas pergo, quæ in faſciis diverſa forma inſignes deprehenduntur, qvibusve idola ab interioribus materiam & longitudinem non aliena aſſuta, jam maſculum jam ſeqviorem ſexum mentientia conſpiciuntur. Fidem hac in parte habebimus Nobiliſſ. Nardio, qvi transmiſſas ſibi Mumias magno numero producit & utramqve paginam addita declaratione implet, omnes varii generis animalia conſpectui objicientes, Ab hoc latere cynocephali ſeſe ſiſtunt, ab illa parte canes flagellis inſtructi. In medio autem horum animalium literæ variiqve Ægyptii characteres, qvos inter ſacerdotales cum Caſalio α) referendos judico, ſcripti cernuntur qvibus hieroglyphica illa ab utroqve latere poſita, tanqvam rem myſticam & plenam myſteriis faſciis hiſce inſcriptam, exhibuerunt ſibiqve animo perſvaſerunt fore, ut funus hoc ab omni adverſa vi tutum horum Numi-

num

α) *l. c. c. X. p. 21.*

num præſidio perſiſteret. Atque adeo hi characteres non ſignificabant duntaxat res, quas exhibebant faſciæ, ſed & Numinum pro ſymbolorum efficacia & myſtica ratione ad depoſiti tutelam attractionem deſideratam.

§. XLIX. In faſciis vero non tantum diverſæ icones videbantur, ſed etiam in ipſo feretro. Quippe operculum aut hominis in eo conditi aut Numinis à defuncto culti ac deamati ſpeciem referebat. Tempus me deſereret, ſi omnium hieroglyphicorum idolorumque formam & explicationem tradere vellem. Perſecutus ea uberius eſt Dapperus in eo libro quem ſupra allegavimus *a*) aliique bonæ fidei ſcriptores, ad quos ſtudioſos hujus ſignaturæ cultores delegamus.

§. L. Jam ipſæ faſciæ in conſiderationem veniunt, quibus ut non infantes, ſic nec defuncti inter adultos caruere. Etenim non videbatur abſonum reducere hominem ad iſta principia poſt mortem, à quibus tenerrima ætas auſpicia ſoliditatis cujusdam ſumſerat. Quid quod Heſychio

a) *Africa.*

ſychio proinde ἐπιθανάτια ἐντετυλιγμένα audiant, quibus cadavera involvebantur, & inſtitæ poſtremæ, quarum interventu corpora linteis commodius obnuberentur. Ut ſicco pede prætercam, quam diverſa pro diverſitate partis quam tegebant, olim ſortitæ nomina, & vel a capite mitra, græce διάδημα, latine vitta: a pectore quod ambiverunt ςηθοδεσμὸς pectorale vinculum nominatæ ſint. Vix potiora hac in parte dici poterunt, quam quæ jam Chifletius *a*) in medium attulit, qui ligatam Mumiam vivis quaſi coloribus depinxit & ſyndone byſſina a cervice usque ad pedes involutam ſtitit, loris inciſis circumligatam, ob gummi tamen denſius illitum non apparentibus. Cubiti decuſſatim ſe premunt ſub linteo, ita ut manus dextra in ſiniſtro pectoris latere, ſiniſtra in dextra videatur. Supremæ capitis parti velum ſuperinductum, quod hinc inde dependet in ipſum medium pectus, in poſtica vero parte a vertice inter ſcapulas deſinit: mento ſuppoſita eſt propendens ὀθόνη ſive faſcia barbata, qua conſtringebant

a) *l. c. p. 13.*

bant genas & maxillas mortuorum, ne os ipſis hiaret. Tantum hoc faciebat ad firmitatem corporis, ut Diodorus ſcribat α) οὕτως ἕκαστον τῶν τοῦ σώματος μελῶν ἀκέραιον τετηρημένον, ὥστε καὶ τὰς ἐπὶ τοῖς βλεφάροις καὶ ταῖς ὀφρύσι τρίχας διαμένειν, καὶ τὴν ὅλην πρόσοψιν τοῦ σώματος ἀπαράλλακτον εἶναι, καὶ τὸν τῆς μορφῆς τύπον γνωρίζεσθαι. h. e. *ſingula membra corporis tantam habebant integritatem, ut etiam palpebrarum & ſuperciliorum pili, adeoque tota corporis ſpecies invariata perſiſtat & formæ priſtinæ effigies agnoſcatur.* Sola facies nuda reſtabat, auribus etiam extantibus. Sed vero Kircherus obſervavit α) utraque brachia non decuſſatim ſemper eo modo, ut jam dictum eſt, ſed quodlibet ad quodvis latus qvandoqve protenſum fuiſſe, unde & in Europa brachia non curvata oſtenderentur. Annotarunt non minus alii, ut Bodinus β) quod quandoque in cadaveribus Principum cutis auro ſuperinducta fuiſſet, ſicuti in Camera Anatomica Lugdunenſi, manq; hujusmodi auratæ commonſtrarentur. His igitur manibus fa-

α) *l. c.* β) *l. c. p.* 417. γ) *L. II, Theatri Nat.*

faſciarum multiplex congeries ſuperimpoſita eſt, funiculis e connabe aſtricta; e cannabe inquam οὐ γὰρ ὅσιον ἐσφέρεσθαι εἰρίνεα ἔν γε τὰ ἱρὰ οὐδὲ συγκατα θάπτεσθαί σφι. *Non enim*, ut Herodotus iterum probat α) *ſanctum habebatur, laneas veſtes in ædes ſacras geſtari & cum cadavere una ſepeliri.* Utque linigeram Iſidem Ovidius appellavit β) aliosque Deos decebat linteis conſiſtere veſtibus : ſic ligacula hæc demortuos ambientia eodem filo confecta requirebantur. Attende quæſo Gryphio clarius hæc ſiſtenti quando non ſine pondere verba ejus ſic ſonant: *Ut vincula ſcidimus, licuit evolvere faſcias, quibus omne corpus circumdatum, textum vix noſtris pectinibus inferior. Jam vicies fermè ſibi incumbentes faſciæ corpori detractæ, cum linteum integrum collotenus ad plantas usque demiſſum. Tum plurimi credebant bæniarum nil ſupereſſe atque hoc tegmine amoto, ipſum cadaver fore ſpectaculo, ut ex Chifletii proxime prolatis concludi poſ-*

α) *l. c. p. 119.* β) *L. I. Amor. Eleg. 2:*
Nec tu ſi nigeram fieri quid poſſit ad Iſum,
Quæ ſieris, ..

poſſet: verum aliæ iterum faſciarum ambages denſo glomeramine compactæ: denuo velum: iterum inſtitæ funesque prioribus haud abſimiles apparebant. Animadvertit, qui paucis poſt diebus funeri recondendo adfuit, tæniis invicem ſibi plus centies ſuperimpoſitis involucrum hoc conſtitiſſe. Ex quibus affatim conſtat, quantam diligentiam & quantum ardorem haud exiguis ſumtibus Ægyptii, ſi non in omnibus, in aliquibus tamen involvendis adhibuerint: quorſum etiam hoc ſpectat, quod Camerarius ſimul animadvertit *α*) auream laminam Ægyptios nonnunquam faſciolis denſiſſimis obvolviſſe.

§.LI. Poſtquam hoc modo præparata, inuncta & ligata erant corpora, reſervabant ea in domo vel omni tempore, vel ad tempus usque ſolennium funebrium, quo in deſignatis ad hoc conditoriis reponebant. Ideo idem Diodorus pertexendo telam defuncti apud Barbaros corporis ita pergit: Διὸ καὶ πολλοὶ τῶν Αἰγυπτίων ἐν οἰκήμασι πολυτελέσι φυλάττοντες τὰ σώματα τῶν προγόνων, κατ' ὄψιν ὁρῶσι τοὺς γε-

νε-

α) *l. c. Cent. II. c. 70. p. 281. vel 405.*

νεαῖς πολλαῖς τῆς ἑαυτῶν γενέσεως προτετελευτηκότας. Ὥστε ἑκάστων τά τε μεγέθη καὶ τὰς περιοχὰς τῶν σωμάτων, ἔτι δὲ τοὺς τῆς ὄφεως χαρακτῆρας ὁρωμένους, παράδοξον ψυχαγωγίαν παρέχεσθαι, καθάπερ συμβεβιωκότας τοῖς θεωρουμένοις. Quæ verba ſic translata inveni: *Hinc multi Ægyptiorum in magnificis apud ſe ædiculis majorum cadavera aſſervantes, tum expreſſe multis ante ſuam nativitatem ſeculis defunctorum facies contemplantur, ut ſingulorum complexum corporis ac faciei lineamenta contuentes, mirifica voluptate, non ſecus ac ſi adhuc ſecum vivant, afficiantur.* Eodem modo Cicero judicavit cum de contemnenda morte egit, Ægyptios condire mortuos & eos domi ſervare α) Neque eſt prætereunda Scaligeri fide digna aſſertio, qua εἴδωλα, ut vocat; ἀνατετυημένα, quæ ἐνταφιασταὶ curaviſſent, in tricliniis ſtatuta confirmavit, ut à filiis nepotibusqve inter epulandum conſpicerentur. β) Rationem aliqvam reddidit Caſſianus γ) cum non vanitati & ſu-

α) *Tuſcull. Qv. L. I. p. m. 387.* β) *epiſt. 197.* γ) *Coll. 15. c. 3.*

perſtitioni vel alii cuidam cauſæ hoc tribuit, ſed neceſſitati & inundationi frequenti Nili, cujus eluvie corpora mortuorum pigmentis condita redolentibus, in editioribus cellulis recondenda fuiſſent. Eſt autem hæc ejusmodi cauſa quæ ſola firmiter locum habere non videtur, imò ne ſcopum quidem multiplicem hujus conſvetudinis qvondam fecit. Extat apud Diodorum aliud etiam quoddam ritus illius fundamentum, ex quo conſtat, Parentum aut amicorum, cadavera medicata creditoribus pignoris loco depoſita ſervanda fuiſſe inſepulta eumque maximam manſiſſe infamiam privationem ſepulturæ, qui pignus id ſolvere non potuiſſet: magna præterea & enormia flagitia arcuiſſe quosvis à ſepulturæ debito, eosque indignos eodem ſolo judicatos, eadem camera communi, qui cœno criminum miſere contaminati nec non fœdati fuiſſent Ita enim ſcribit: *τοὺς κωλυομένους διὰ τὰς κατηγορίας, ἢ πρὸς δανείων ὑποθήκας, θάπτεσθαι, τιθέασι κατὰ τὴν οἰκίαν ἰδίαν. Οὓς ὕστερον (ἐνίοτε) παίδων παῖδες εὐπορήσαντες, καὶ τῶν τε* *εὐμ-*

συμβολαίων καὶ τῶν ἐγκλημάτων ἀπολύσαντες μεγαλοπρεποῦς ταφῆς ἀξιοῦσιν. Sepultura prohibitos vel ob intentata crimina, vel ob æris alieni debitionem, ſuis in ædibus condunt. Et ſæpe fit impoſterum ut opibus aucti nepotes debitis aut criminibus exſolutos, hororifica majores ſepultura dignentur. Quemadmodum igitur Ægyptii, nullaque gens, quæ â natura ingenitam & juſtam ſui cadaveris curam & erga proprium corpus pietatem altius penetravit, tam barbara fuit, quæ non de proprio ſepulchro erigendo cogitaviſſet: Sic fideles inter Ægyptios potiſſimum, antiquiſſimum infidelium morem poſtmodo imitati vel in ſuis domibus ſepulchra ſimiliter paravere, vel ſuorum cadavera loculis aut arcis ligneis condita domi aſſervarunt, ut indicatur de Joſepho Patriarcha α) & ab hac ipſa nota Ægyptii in S. codice deſcribuntur β) qui in ſepulchris habitaverint, vel, quod idem erit, in ſuis ædibus ſepulchra ſibi conſtruxerint & defunctos aſſervarint.

§. LII. Singulis tamen defunctis capſula parabatur pro conditione hominum

α) Gen. 50. 25. β) Eſaiæ, 65. 4.

majoris vel minoris pretii, eratque vel ex ligno vermibus ægre pervio vel lapidibus confecta & quandoque auro obducta, qualis generis ſe vidiſſe aſſerit in Pyramide aliqua circa urbem Memphis Thevenotus in Itinerario ſuo per Europam, Aſiam & Africam. α) His includebant demortuos, eorum autem imagines in conviviis circumferre ſolebant, ut de fati extremi neceſſitate præſentes admonerent. Quod ſi enim Herodotum iterum adeas, id ipſum innuit certe, quando inquit β) ἐν τῇσι συνουσίῃσι τοῖσι εὐδαίμοσι αὐτέων, ἐπεὰν ἀπὸ δείπνου γένωνται, περιφέρει ἀνὴρ νεκρὸν ἐν σορῷ ξύλινον πεποιημένον, μεμιμημένον ἐς τὰ μάλιστα καὶ γραφῇ καὶ ἔργῳ μέγαθος ὅσον τε πάντῃ πηχυαῖον, ἢ δίπηχυ. Δεικνὺς δὲ ἑκάστῳ τῶν συμποτέων, λέγει, ἐς τοῦτον ὁρέων πῖνέ τε καὶ τέρπευ. Ἔσεαι γὰρ ἀποθανὼν τοιοῦτος. Ταῦτα μὲν παρὰ τὰ συμπόσια ποιεῦσι, πατρίοισι δὲ χρεώμενοι νόμοισι, ἄλλον οὐδένα ἐπικτέωνται. Quæ latine ſic adduntur: *Apud locupletes eorum cum multi convenerunt & a cœna diſceſſum eſt, circumfert aliquis in loculo mortuum e ligno factum ſed pictura & opere*

ve-

α) *L. II. c. V.* β) *L. II. p. 118. f.*

verum maxime imitantem, longitudine cubitali omnino aut bicubitali, oſtendensque ſingulis convivarum, ait: in hunc intuens pota & oblectare, talis poſt mortem futurus. Hæc illi apud convivia faciunt, contentique moribus patriis, nullum alium aſciſcunt. Longum eſſet enumerare alios, qui in mortalitatis memoriam ſimile quid fecerunt. Qvare hoc unum ſatis erit dictum, ex quo intelligi queat ubinam plura huc apprime facientia evolvi poſſint. α)

§. LIII. Anteqvam efferebatur corpus, prædictus à cognatis tum judicibus tum defuncti amicis ſepulturæ dies. τοῦ γὰρ μέλλοντος θάπτεσθαι σώματος οἱ συγγενεῖς προλέγουσι τὴν ἡμέραν τῆς ταφῆς τοῖς τε δικασταῖς καὶ τοῖς συγγενέσιν, ἔτι δὲ φίλοις τοῦ τετελευτηκότος, καὶ διαβεβαιοῦνται, λέγοντες, ὅτι διαβαίνειν μέλλει τὴν λίμνην τοὔνομα τοῦ τετελευτηκότος. Ἔπειτα παραγενομένων δικαστῶν πλείω τῶν τετταράκοντα, καὶ καθισάντων ἐπί τινος ἡμικυκλίου, κατεσκευασμένου πέραν τῆς λίμνης ἡ μὲν βᾶρις καθέλκεται κατεσκευασ-

G 3 μένη

α) *conf. Plutarchus in Alcibiade. Camerar. Hor. ſubciſ. Cent. II. p. 222. ſqq. c. 37. Chiflet. l. c. &c.*

μένη πρότερον ὑπὸ τῶν ταύτην ἐχόντων τὴν ἐπιμέλειαν, ἐφέστηκε δὲ ταύτῃ πορθμεύς, ὃν Αἰγύπτιοι κατὰ τὴν ἰδίαν διάλεκτον ὀνομάζουσι χάρωνα. Διὸ καί φασιν Ὀρφέα τὸ παλαιὸν εἰς Αἴγυπτον παραβαλόντα καὶ θεασάμενον τοῦτο τὸ νόμιμον, μυθοποιῆσαι τὰ καθ' ᾅδου, τὰ μὲν μιμησάμενον, τὰ δὲ αὐτὸν ἰδίᾳ πλασάμενον. Οὐ μὴν ἀλλὰ τῆς βάρεως εἰς τὴν λίμνην καθελκυσθείσης, πρὶν ἢ τὴν λάρνακα τὴν τὸν νεκρὸν ἔχουσαν εἰς αὐτὴν τίθεσθαι, τῷ βουλομένῳ κατηγορεῖν ὁ νόμος ἐξουσίαν δίδωσιν. Ἐὰν μὲν οὖν τις παρελθὼν ἐγκαλέσῃ καὶ δείξῃ βεβιωκότα κακῶς, οἱ μὲν κριταὶ γνώμας ἀποφαίνονται, τὸ δὲ σῶμα εἴργεται τῆς εἰθισμένης ταφῆς. Ἐὰν δὲ ὁ ἐγκαλέσας δόξῃ μὴ δικαίως ἐγκαλεῖν, μεγάλοις ὑποπίπτει προστίμοις. Ὅταν δὲ μηδεὶς ὑπακούσῃ κατήγορος, ἢ παρελθὼν γνωσθῇ συκοφάντης ὑπάρχειν οἱ μὲν συγγενεῖς ἀποθέμενοι τὸ πένθος, ἐγκωμιάζουσι τὸν τετελευτηκότα, καὶ περὶ μὲν τοῦ γένους οὐδὲν λέγουσιν, ὥσπερ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν, ὑπολαμβάνοντες ἅπαντας ὁμοίως εὐγενεῖς εἶναι τοὺς κατ' Αἴγυπτον. Τὴν δὲ ἐκ παιδὸς ἀγωγὴν καὶ παιδείαν διεξιόντες πάλιν ἀνδρὸς γεγονότος τὴν εὐσέβειαν καὶ δικαιοσύνην, ἔτι δὲ τὴν ἐγκράτειαν καὶ τὰς ἄλ-

λας

λας ἀρετὰς αὐτοῦ διεξέρχονται καὶ παρακαλοῦσι. τοὺς κάτω θεοὺς σύνοικον δέξασθαι τοῖς εὐσεβέσι· τὸ δὲ πλῆθος ἐπευφημεῖ καὶ συναποσεμνύνει τὴν δόξαν τετελευτηκότος, ὡς τὸν αἰῶνα διατρίβειν μέλλοντος καθ' ᾅδου μετὰ τῶν εὐσεβῶν. Quæ verba Diodori ne pigeat & latine tranſlata legere ſic ſe habentia: *Sepeliendi cadaveris neceſſarii & gentiles certum ſepulturæ diem judicibus & conſangvineis præfiniunt & nomine mortui indicato, quod paludem tranſiturus ſit, certo confirmant. Inde plures quadraginta judices accedunt, habitoque in ſemicyclo quodam ultra lacum conſeſſu, navis ab hujus negotii curatoribus prius extructa attrahitur Proreta quodam gubernatore, quem ſua lingva Charontem vocant. IdeoqveOrpheum cum peregrinatus quondam in Ægyptum hunc ritum vidiſſet, fabulam de inferis partim imitatum, partim ex ingenio ſuo commentum esſe perhibent. Deducto igitur in ſtagnum navigio, priusquam mortui loculus inibi deponatur, quisquis accuſare velit, a lege poteſtatem habet. Quod ſi quis in medium progreſſus inſtitutum accuſatoris probarit,*

quod vitam malam egerit, lata per judices ſententia, tum ab uſitata cadaver ſepultura arcetur; ſin accuſator calumnioſam intendiſſe actionem deprehenſus ſit, magnæ obnoxius eſt pœnæ. Quando vero ſe nullus offert accuſator, aut oblatus criminationis falſæ convincitur: depoſito cognati luctu ad mortui laudes procedunt, & de genere quidem nihil, ut Græcorum conſvetudo habet, memorant: quia omnes æque nobiles in Ægypto eſſe cenſent. Sed ut a puero educatus & inſtitutus & ad virilem progreſſus pietatem in Deos; & juſtitiam itemque continentiam & alias virtutes coluerit, recenſent, ac Deos infernos, ut in contubernium piorum recipiatur, obteſtantes rogant. Laudes clamore ſecundo vulgus excipit & magnificis ſimul laudibus defunctum prædicat, ut qui ſempiternum cum piis ævum in Ditis regno ſit peracturus.

§. LIV. Si in compendio dicendum quod res eſt, referunt hæc verba quid præcedere ſolitum apud barbaros poſtremam in cryptas incluſionem. Credidiſſe videlicet, mortuum paludem tranſiturum, ultra

tra quam judices ſententiam ferrent & ſi male ab accuſantibus vixiſſe comprobaretur, corpus ejus ſepulchro indignum judicatum fuiſſe. Cum defuerit accuſator, cognatos laudaſſe τὸν τεθνηκότα & invocasſe inferos Deos ut inter pios eum locarent. Ad quæ verba reſponderit omnis multitudo, gloriam mortui extollens tanquam cum beatis ſemper futuri.

§. LV. Quos igitur Judices ob vitam bene geſtam ſepeliendos judicaverant, illis ſolemnia conductus funebris perſolvebantur. Non grave erit Lectori, ex Dapperi Africa *α*) adduxiſſe, quæ ad hanc rem præprimis faciunt. Hic enim prout germanico idiomate ſvaviter ſatis profluit: ita in eodem ſcribendi genere nobiſcum communicavit hæc verba:

"Das Leichen-Gepränge pflegten die "Egyptier über die maſſen prächtig zu hal"ten / ſonderlich wenn Könige / Prieſter o"der andere anſehnliche Leute begraben "wurden. Faſt alle ihre Götzen tragen ſie "nach / auff heiligen Bahren / dadurch ſie

α) *p. 96.*

"den Verſtorbenen ihre Gnade zu erwer-
"ben wähnen. Zwey Abriſſe von derglei-
"chen Leich-Gepränge/ die man in den
"Särgen gefunden/ ſiehet man bey mehr
"gemeldten Kirchero in ſeinen Buch von
"denen Gebalſamten Leichen: Davon die
"eine mit folgenden Bildern gezieret. Die
"Momphtiſche Iſis mit einen Schleyer und
"Schnüren auff den Haupt und mit auff-
"gereckten Händen und Armen: dardurch
"der Geiſt des Monds zuverſtehen gegeben
"wird. Die Abgöttin Neſte/und der Gö-
"tze Anubis mit abwehrenden Werckzeu-
"gen als Pfeilen und Flegeln in den Hän-
"den. Zwey Götzen-Bilder des Anubis
"und der Neſte auff den Knien auch mit
"Flegeln und Hacken verſehen. Die zwey
"erſten welche gerad auffgerichtet ſtehn ſchei-
"nen dieſer Abgötter Prieſter zu ſeyn: de-
"rer Bilder ſie folgen die Gottheiten zu ver-
"ſühnen. Eine Schlange mit auffgehob-
"ner Bruſt und einen geſchuppten Kopffe.
"Ein Bild mit einen Menſchen Angeſicht/
"deſſen übrigen Leib eine Schlange/ wel-
"ches ein Sinnbild des Weltgeiſtes iſt. Ein
"Dreyfuß auß drey Ecken zuſammen ge-

fü-

"fuget. Zwey ſitzende Hunde / die Hüter
"der Heiligthümer. Zwey Bündel abweh-
"render Werckzeuge mit einen Mercurs-
"Stabe / darinnen eine Kugel aus welchen
"eine Schlange kriechet. Eine Bahre
"zwiſchen einen Heiligen geſtelle / darauff
"zwey Habichte mit einen heil. Kleide / be-
"deckt / geſetzet waren. Eine Bahre mit
"dem Leichen-Bette des Momphts, der ein
"beſchirm-Götze des Nils, mit den Wach-
"hunde Anubis darunter: Die heil. Bin-
"de des Orus: Der Reichsſtab des
"Momphts: etliche Nil Krüge: ein Egy-
"ptiſches Schiff Baris genennet: etliche
"vermummte / welche mit unterſchiedlichen
"Geberden unterſchiedliche Gottheiten vor-
"ſtellen. Endlich die gebalſamte Leiche
"auff einer Bahre / auff gewöhnliche Egy-
"ptiſche weiſe außgezieret. Darnach ein
"Bild mit auffgehobenen Armen / und ein
"Schwantz der von denen Egyptiern auff
"hohen Feſten pflegte umbgetragen zu wer-
"den. In der mitten noch unterſchiedliche
"andre Bilder / derer Haupt ein Habicht
"und ihr Unterleib eine Schlange war.

"Hierauff ſieben Ochſen mit einem heiligen
"Kleide bedeckt; dadurch ward die viertä-
"gige Feſt-Zeit der Geburt der Abgöttin
"Iſis zu erkennen gegeben / in währender
"welcher Zeit niemand von den Crocodil/
"nach den gemeinen Wahn/beleidiget ward
"und alle Krafft der gegenſtreitenden
"boßhafftigen Gottheiten ruhete. Zum
"allerletzten folgten nach etliche andre Bil-
"der. Dieſer vollkommene Entwurff des
"Leichen-Gepränges wird in einer Papier-
"nen Rolle vorgeſtellet/ da die Leiche ſelbſt
"recht in der mitte zuſtehen komt und man-
"cherley Götzenbilder von hinten und von
"fornen. Und wurde darumb gemacht
"und zu der Leiche in den Sarg geleget/
"damit der Verſtorbene durch dieſes Mittel
"von aller Gewalt der böſen Geiſter ſoll
"befreyet und ungehindert ruhen. Huc uſque Dapperus, qui ut in ipſo Textu verborum, quæ huc tranſcripſimus, ſic & in fine illorum ad Athanaſium Kircherum remittit, ac præterea Nardium α) & Petri della Valle conſuli poſſe ſvaſit.

§. LVI.

α) *in Annott. ad Lucret.*

§. LVI. Reſtat adhuc Mumiarum noſtrarum in cryptas incluſio, quas, ne aëris, aquæ, caloris temporumque aut animalium injuriis exponerentur, ſumma ſane cautela vel in æternum quaſi duraturis pyramidibus vel in cryptis ſummo labore in rupe exciſis velatas reponebant. Cryptæ ſubterraneæ autem variis concamerationibus diſtinctæ & tam multiplicibus ambagum viarumque gyris intricatæ erant, ut labyrinthus videri poſſent. Sæpe citatus Kircherus annotavit, *a)* tantam fuiſſe haud infrequenter camerarum multitudinem, ut ad milleſimum ſeſe numerum extenderint, imo exhibet ipſos Schematiſmos & cryptarum ſtructuram, ut vivam quaſi imaginem cubiculorum videas, defunctorum σκιάσματα quæſiturus & collecturus. Domus noſtras appellabant diverſoria, quod exiguum ad tempus hæc incolamus mortales: defunctorum vero ſepulchra æternas domos quod infinitum apud inferos ævum agant. Unde licet de ſtructura domorum nimis fuerunt ſoliciti,

a) p. 400. ſqq.

citi, in exornandis tamen ſepulchris ſummum ſtudium ſummamque operam impenderunt, uti pyramidum vaſtiſſimæ moles docent & Ciampini opera Muſiva *α*) Thevenoti β) aliorumque Itineraria plus ſatis loquuntur.

§. LVII. Hoc modo ſepultis intra pyramides & antra lapidea, tutelaria idola addebantur, quæ ut aliquo nomine inſignia ac famoſa eſſent ſerapia dicta ſunt & corpora a capite ad calcem variis hieroglyphicis figuris ſpectabilia, circumſtabant.

§. LVIII. De utilitate Mumiarum in Medicina ut quid dicam, fere ambigo, ſiquidem extra ſphæram ingenii mei poſita hæc ſunt & alibi majori cum fructu leguntur, quam a me plurima capiuntur. Non dividiæ tamen fuerit, ut ſpero, ſi quæ vel meis vel alienis vidi oculis, nunc paulo plenius communicavero. Mumias rariores & tantum non Regum & Heroum corpora naturali balſamo Syriaco & Ægyptiaco potiſſimum inuncta fuiſſe, nullum plane poteſt eſſe dubium. Poſteaquam ve-

α) *P. I. c. 19.* β) *L. II. c. V.*

vero incolarum avaritia, corpora hæc magno divendi poſſe pretio, animadvertit, tanto minus de fraude illorum dubitandum erat, quanto certiu apud omnes gentes compertum habemus, ſingulas propriis abundare commodis. Cum itaque tanta Mumiæ ſit diverſitas, ut vix credendum, veram ad nos deferri imaginem, haud difficili opera apparet, quid de hac Medicina vix parabılı Eruditi Medicinæ Patres judicent. Non negant prorſus, in carne iſta humana latitare medicinam non contemnendæ virtutis: at enim vero quodvis ad nos advectum cadaver illius excellentisſimi generis eſſe & non potius piſſaſphalti fucum mentiri, quod vel ſolum pro Mumia in officinis venditant, id vero eſt quod nemo ipſis perſvadeat ac uſum illarum propemodum omnem deprimat. Nam quid quæſo impedit, quo minus pro vera forma velut Junone, umbram aliquam Amaſiis illarum obtrudant? quid obeſt, quo minus effœtum ejusmodi corpus, quod apportatur, & langvidum eſſe poſſit, quod diuturna ægritudine ſuccubuit & non niſi expreſſum putridi ſui

cada-

cadaveris ſuccum inſpiſſatum relinquere potuit? Unde licet Excellentiſſimus Schröderus α) ſi ex ſanis corporibus haberi poſſet, laudem Arabum ac Ægyptiorum Mumiis non derogat: præfert tamen omnino iſtam recentiorem, quam paterna Medicorum indoles in ſalutem humanam, ſine ſubdola fraude ac luſu jocoſo eruit ac invenit, quando ita ſibi præparavit Mumiam.

§. LIX. Elegit cadaver hominis ſani & ruffi quidem (quia in hoc habetur ſangvis tenuior & ſic caro præſtantior) annorum circiter viginti quinque, recens ſuſpenſum, (non morbo conſumtum) vel rota contritum vel haſtatum, per diem & noctem in aere relictum, & tempore, ſi posſit, ſereno collectum. Hujus carnem muſculoſam, brachiorum, femorum & aliarum corporis partium a duobus luminaribus illuſtratam & conſtellatam fruſtulatim conſcidit, pulvere myrrhæ aſperſit &

α) *Pharmacopoeiæ Medico-Chym. L. V. Claſſ. I. de Animalibus p. 818. conf. & Jacobum le Mort Collectan. Chym. Leidenſ. p. 127.*

& tantillo ſaltem aloes: poſtea maceravit diebus aliquot in ſpiritu vini, ſuſpendit per horas ſex vel decem, ac eodem ſpiritu iterum irrigavit: tandem vero in aere, ſicciori loco, umbroſo tamen ſuſpenſam ſiccavit, ut asſimilaretur carni fumo duratæ ſine fœtore. α)

§. LX. Largus interim eorum eſt numerus, qui Mumiis Ægyptiacis tribuunt, quod tribuendum exiſtimant. Ita Illuſtris Wedelius β) Mumiam inter reſolventia numerat, Excellentiſſ. Fridericus Hofmannus γ) contra Epilepſiam velut ſpecificum præſcribit, Joh. de Muralto δ) calculoſis adhibuit, Baco de Verulamio ε) virtutem ejus in ſiſtendo ſangvine attollit, Johannes Helfricus Jungkenius ζ) uſum in coagulato & grumeſcente ſangvine reſolvendo extulit vel per ſe vel aliis

α) *conf. Ettmulleri Schræder. Dilucidat. p. 225.* β) *Amænitat. mater. med. p. 377:* γ) *Methodi medendi p. 282.* δ) Stadt Land und Hauß-Artzt *p. 296.* ε) *Hiſtor. Natur. Centur. VIII. Experiment. 771. p. 980. in opp. Lipſiæ editis.* ζ) *Medici præſenti ſeculo accommodandi p. 117.*

adjuvantibus remixtum. Ut alios Viros Cl. taceam, aut vel ſola nomina quorundam attingam, per qvæ velut per portam aliquam intrare poſſimus cameram ipſorummet ſcientiæ Medicæ Mumialis. Qualia ſunt Samuelis Dale Angli cujusdam celeberrimi α) Thomæ Bartholini β) Ferrandi Imperati γ) Actorum Anglicorum δ) Hartmanni ε) Wormiani Muſæi ζ) & ſi quæ alia. Meum enim non eſt contexere accuratum Catalogum materiæ extra cancellos meos poſitæ, ſed non prorſus prætermittere ea, quæ ordine prioris quondam ſpeciminis leviter deguſtavimus.

§. LXI. Sedeat idcirco Franciſco I. Regi

α) Interductione ad Mater. Med. p. m. 648. β) de Mumia Danica Hiſtor. Anatom. p. 62. γ) Hiſtor. Natural. p. 465. δ) Menſ. Decembr. 1666. ubi quæſtio movetur: an Mumia in ſabulo Arabiæ reperiantur quæ ſint carnes exſiccatæ hominum in itinere ſepultorum in illis arenoſis deſertis? nec non: qua ratione a Mumiis balſamo conditis differant? ε) Mumia leporina Ephemerid. Lipſienſ. S. Miſcellan. Medico *phyſicar. A. 7. p. 45. obſervat. XX. ζ) p. 344.*

gi olim Francorum ſua quidem animi perſvaſio intemerata ac inconcuſſa, qua Mumiam, quocunque iret, devehendam curavit, quaſi morborum omnium ſingularem panaceam: α) non tamen temere prorſus judicaſſe Jacob. Barnerus æſtimabitur, qui nos optima ratione carere poſſe autumavit hoc medicamento ſuſpecto & nauſeabundo. β)

§. LXII. Denique de difficili ſuper maria translatione certi quid affirmare Radzivilii epiſtola quædam γ) pendere nos non ſinit, qui Alexandriæ ciſtas ſeptem talismodi carne refertas ære coemerat, multa licet ſolicitudine ac cura afflictus, & provide immiſerat navi, ut ſecum domum, quo tendebat, reportaret. Factum vero, cum aliquis, a miſſa qui fuit, ſacerdos, preces quas vocant, horarias haberet ut ſpectris duobus ethnicis non tantum,

α) Camerar. Hor. ſubciſſ. Cent. IIc. 70. p. 407. β) Chymiæ Philoſoph. p. 349. γ) III. fol. 233. conf. Eraſmum Franciſci in Theatro Curioſitatum p. 946. ſqq.

Viro ac fœmina, atro colore horrendis, dirum in modum conturbaretur: verum etiam vehementiori procella ex profundo mari in navem illidente in dubium vitæ veniret. Hic quid conſilii reliquum eſſet, Princeps Ille ſumme perturbatus non videbat, qui niſi merces coëmptas, vento ſopito, in undas projeciſſet, conſimili forte furore rabieque maris quaſſatus & tantum non oppreſſus fuiſſet. Vix proinde dubitem, congeneres ſatanæ filios, ex Ægypto difficillimam dimiſſionem Mumiarum adhuc concedere puriori fidei addictis ob ullam aliam cauſam, niſi quod capti irretitique ſuperſtitione ingenti credant, nos incantationibus magis fœda reddituros hæc corpora, illique regioni irreparabile damnum allaturos eſſe. Nihil autem plane moratur nos, exiſtimare quam certiſſime, diabolicis luſibus iſtis vexatum miſere ac divexatum Inclytiſſimum Principem, quippe qui ſpiritus totam illam regionem veluti ſuam ac religionem ceu cultum ſibi proprium incolebat atque flectebat, & corpora in ſua manu habebat, a qui-

quibus ut cederet, translatione nulla adigi potuit, tot diis interioribus exterioribusque ethnicis ſtipata.

CAPUT. II.

SPECIALE.

§. I.

EXcipit hæc generatim dicta, ut ordinis præſcripti rationem habeamus, exempli ſingularis in quo velut in ſpeculo demortuæ Ægypti monumenta conſpicere liceat, conſideratio. Quæ utut brevis ac |ſuccincta, nihil tamen temere eorum prætermiſiſſe videbitur, quæ modo aliquē in evolutione hujus materiæ fructum habere poſſint, vel noſtro ingenio probatu haud impoſſibilia viſa ſunt.

§.II. Fieri id ſane non poſſet, niſi ad videndam hanc imaginem in ſecretiorum literarum Lipſienſium Gazophylacio, per Patronorum Senatus Magnifici ſummam Benevolentiam aperta porta mihi fuiſſet. Qui ſicut accuratius inſpiciendi copiam

ſupplici vel ſponte fecit: ita artificis cujusdam manibus ſubjicere, illamque tabulæ æneæ inciſam Lectori Curioſo ſiſtere benigniſſime conceſſit. Tempus quo dabatur hac Benignitate frui, annus erat prioris ſeculi nonageſimus quartus. Veruntamen ego in id omni tempore venturisque, quoad Deus voluerit, annis incumbam, ut grata mente decentique obſervantia hunc cum cæteris miræ Comitatis τεκμηρίοις exhibitis Favorem certum, fideliſſime agnoſcam.

§. III. Rem quod attinet, præmittendum eſt, Mumiam, de qua loquimur, ex Ægypto Lugdunum Batavorum & hincLipſiam per mercatores delatam: unde in concivis cujusdam mercaturæ ædibus primo aſſervatam & Collegio Lojolitarum Pragenſium deſtinatam Senatus Ampliſſ. ad Bibliothecæ ſuæ Inſtructiſſimæ Cimelia reliqua tandem ipſemet intromiſit.

§. IV. In laudata hac BibliothecaMumiam hanc vidimus inque ea tria obſervavimus notatu cum maxime digna, feretrum nempe numero 1. & 2. notatum, amictum

mictum vario apparatu myſtico n. 3. exornatum & ipſum cadaver num. 4. quæ nunc fuſius explicabuntur.

§. V. Primum omnium feretri pars ſuperior ſeu operculum, quod repræſentatur figura 1. ſeſe oculis noſtris ſiſtit, cujus ſummæ parti inſculpta facies fœminea (hujus enim ſexus interior forma habetur) incluſi cadaveris effigiem exhibere videtur. Caput mitra tectum & velo, ita ut aures promineant, circumdatum eſt, limbis etiam variis vetuſtate maximam partem deletis pectus conſpicuum. Conferenti equidem hanc faciem cum ipſa Mumia n. 4. ſignata, exigua apparebit æqualitas: hanc tamen diſcrepantiam longæ tot annorum ſeriei, hinc ſecutis totidem injuriis, & largæ, qua vultus intra feretrum obductus, gummi copiæ facile quis tribuet.

§. VI. Quod ſi jam ad partem feretri inferiorem n. 2. indicatam progredimur, L. B. in ea imaginem humanam cum ave quadam addita primo ſtatim obtutu videbit. Iſidem per illam denotari inde conjici-

jicitur; quia Ægyptii frequenter in feretris depinxerunt & Kircherus ſæpius per ejusmodi ſimulacra Iſidem explicare conſvevit. Hujus caput velamento cœruleo inſignitum eſt, & penna, vel, ut aliis placet, cultro in extremitate ſpectabile. Amictus viridi & flavo colore mixto reticulatus, a mammillis ad pedes usque extenditur. Reliquæ corporis partes nudæ ſunt ita tamen ut manus pendulæ, armillis cinctæ & dextri pedis digiti, ſiniſtri calcaneum premant. Equidem inficias ire haud poſſum, in evoluta Pignorii Menſa Iſiacæ diverſas Iſidis comparere formas & quatuor majori typo impreſſas multoque plures in poſterioribus tabulis α) nullam autem conſimilem noſtræ & quæ typum illius maximam partem redderet. Cum ſacro capitis ornamento viſuntur omnes; ſpicis autem duabus, ut vocat, vulturinisque pennis a tergo ſibi obverſis & faſtigio verticis impoſitis, ut tranſeam cætera, a præſenti exemplo illico recedunt. Vix ta-

α) p. 19.

tamen credam aliam hujus diverſitatis ſubeſſe cauſam quam quod omnia moderari credita Iſis multi colores ob lucis, tenebrarum, diei, noctis, vitæ mortisque diſcrimina, veſtes & geſtus alienos referre ex ipſorum mente debuerit.

§. VII. Avis adjuncta Ei ſiniſtrum latus occupat, quæ pro Jynge haberi posſet cum Iſidis adminiſtra ſit niſi facierum utriusque diſcrimen obſtaret. Si quis tamen Pierii explicationem datam ſequi velit, α) ei hoc minus obnitemur, quo magis inveniet apud eundem, quid ſimilitudinem, licet non omnimodam, utrique volatili conciliet. Ibis interim Ciceroni β) non minus graphice delineatur quod maximam vim ſerpentium conficiat, cum ſit avis excelſa, cruribus rigidis, corneo proceroque roſtro. Fuit autem hæc Iſidi ſacra, tum quia ad Lunæ rationem, quam pennarum etiam varietate exprimit, ſe confingit; tum quia tot diebus ova excludit, quot Luna creſcit & de-

α) *Hieroglyph. p. 307.* β) *L. I. de Nat. Deorum.*

creſcit. Ejusdem inteſtinum Luna deficiente comprimitur. Ad hæc extra Ægypti fines non progreditur : exportata vitam citius quam patrii ſoli deſiderium abjicit. Ex quibus verbis quid colligi de hoc volucri haud difficulter poſſit, ſuis quisque ingenii oculis perſpicit. Meretur præ aliis hac de re conſuli Ælianus plenus doctrina variarumqve rerum cognitione romanus Sophiſta. α)

§. IIX. Feretrum totum ligneum eſt & ex aſſeribus latitudinem manus ut plurimum exæqvantibus multiplicique clavo ligneo compactis exſtructum, quorum asſerum materia ex ligno; quod vocant, Saſſefraß / conſtare creditur: cujus autem durities non obſtitit, quin per tot ſeculorum decurſus vel aeris ſæpius mutati injuriam, carie, parce tamen exeſum fuerit & hinc ſciſſuras aliquot in operculo figura I. expreſſas acceperit. Totius feretri longitudo in tribus cubitis & uno quadrante deſinit: latitudo autem circa pectus Mumiæ in quatuor quadrantes & dimidium

α) *L. 2. Hiſt. animal. c. 38. it. L. X. c. 30.*

midium, verſus pedes in tres fere ulnæ quadrantes extenditur, ubi tamen infima pars feretri in altum ita excreſcit, ut ſi erigatur, illi velut baſi & fundamento firmiter inſiſtere poſſit. Color circum circa exceptis, quas adduximus, iconibus, albus apparet: vetuſtate autem omnis ferme obliteratus eſt, ut nos fugiat, an olim & latera hujus feretri pictura aliqua illuſtrata fuerint, nec ne.

§. IX. Conſideravimus hactenus feretrum: nunc quid in eo lateat, expendamus. Primum vero ſe offert faſcia exterior ſeu amictus ille vario apparatu hieroglyphico exornatus & Num. III. denotatus. Linum & papyrus materia ejus, quæ glutine quodam arctiſſime concrevit & totam corporis molem tegit. In pectore tamen oblique finditur & hinc illinc lacera atque attrita eſt. Ruber color maximum amictus hujus ſpatium implet; aureus, cœruleus, flavus, albus atque viridis reliquam faſciæ picturam abſolvunt.

§. X. In parte ſuperiori jam hærentes, circa faciem notamus, aures cum palpe-

bris

bris & ſuperciliis auro, cæteras partes flavo colore obductas eſſe, ore tamen & oculis nigris apparentibus & ſemi circulo lunari notatis. Naſus præprimis in altum aſſurgit & cavitate ſua naſo Mumiæ receptaculo inſervit, ut hinc eo minus dubitemus, quin & hæc pictura cadaveris interioris effigiem referre debeat. Cœruleum undique velum caput cingit & ad ſciſſuram usque modo memoratam ſeu medium pectus deſcendit. Siniſtrum latus Numen aliquod occupat, flagello ad cuſtodiendum corpus munitum & ad ſuccurrendum feſtinum: id quod vix tamen, quia ferme deletum & mutilum, ἀπὸ τῶν αὐτοπτῶν conſpici ac cognoſci poteſt. Obſervavimus autem accuratius inſpicientes & ſuperiorem chartam, quantum licuit, attollentes, picturā picturam premere, neque uti primo intuitu apparuit, ſuperiorem tantum ſuperficiem coloribus eſſe inſignem. Deprehendimus enim, infra eandem etiam latere diverſi generis figuras, quæ cum auro tum alio multiplici colore illuſtriores redditæ, eo imprimis in lo-

co

co ab artifice in figura citata punctis notato, quarum tamen notitiam uberiorem tradere vetuſtas invida prohibuit.

§. XI. Ad faſciæ medium progredimur, cujus terminos à ſciſſura ordientes usque infra imaginem alatam conſtituimus. Quatuordecim ſemi circulares limbi hic videntur, qui omnes ordine in majus excreſcentes utroque ſuo extremo ſciſſuram tangunt & medium quoddam ſpatiolum teſſellatum tanquam centrum ambiunt. Eorum ſinguli vel ovalibus vel triangularibus vel circularibus vel aliis figuris referti ſunt. Limbi autem ſecundum Kircherum l. c. cœleſtes Zonas notant, in quarum receptacula Animam migraturam dixerunt: & ſub ſe cancellos binos ſeu feneſtras poſitas habent, per quas eandem in dictas Zonas tranſire Ægyptii crediderunt.

§. XII. Has ſequitur figura fœminea extenſis brachiis, pedibus inſidens, cujus manus utraque penna inſtructa eſt & latera triplici alarum ſerie conſpicua. Kircherus hanc formam in ſimili faſcia Mumiæ

miæ Nardianæ *a*) cujusdam per Jyngem explicat. Quia vero Jyngis ſpeciem non refert, quæ avis equidem humana facie, non autem pedibus & manibus hominis gaudet, igitur putamus, explicationem illius ſchematis cum noſtro ex omni parte non convenire, cum Jyngem pectori Iſidis l. c. inſidere dicat, una autem eaque fœminea imago in utraque faſcia Nardiana & Lipſienſi conſpiciatur, cujus pectus ab omni volucri vacuum quilibet deprehendit. Non dubitamus proinde, quin Iſis ſubintelligatur, per cujus diverſos alarum ordines, diverſi Intelligentiarum chori ſignentur, quibus univerſum mundum adminiſtret. Brachia extenſa influxum in omnia mundi membra ſignificant. Pennam utraque manu tenet, ad celeritatem operationum oſtendendam: ſedet quia dominium in omnia habet: circulum in capite geſtat, quia æterna exiſtimabatur.

§. XIII. Devenimus jam ad ipſam in-

fi-

a) *l. c. p. 411. c. V.*

ſimam hujus faſciæ partem, quæ in varias Zonas diſtributa abit, quarum ſingulæ certum quendam locum Numini alicui asſignant, quorum medium columnis duabus a figuris lateralibus diſtingvitur. Claſſes laterales decem numero primo loco conſiderabimus.

§. XIV. Earum quatuor ſuperiores ab utroque latere ſibi oppoſitæ figuras maximam partem humanas ſiſtunt, quæ ſibi invicem in omnibus ferme ſimiles, præterquam quod prima dextri lateris, accipitris; prima ſiniſtri lateris, Iſidis lunaris ſub forma cercopitheci ſacri habili; reliquæ duæ canis, omnes autem in prototypo auro obductas facies exhibeant, quibus Oſiris, Anubis & alia averrunca Numina indicantur. Singulæ ſacro chlamyde veſtitæ laqueos manu geſtant. His enim adverſarum poteſtatum vim ligari crediderunt. *α*)

§. XV. Sequitur tertia Claſſis, quæ itidem Numina fere ſimilia monſtrat. Siniſtrum propter aures caninas procul dubio Anubicum. Utrumque etiam excubitorem

α) *conf. Kirch. Oedip. p. 416.*

rem funeris agere Ægyptii ſibi perſvadebant. Num autem olim manibus, ut præcedentia, aliquid geſtaverint; exporrectæ quidem manus ſatis indicare videntur, noſtri autem viſus nunc amplius non eſt. Potius ad quartam Zonam progredimur, in qua canes velut aræ incubantes cernis, ambos flagellis inſtructos. Innuuntur per eosdem Anubici ſeu Mercuriales genii averrunci quorum vigilantiæ corpus commiſſum. α)

§. XVI. Ultima lateralium figurarum claſſis geminos Deos tutelares ob oculos ponit, qui in omnibus rurſus æquales ſibi videntur, niſi quod dextri lateris genii manibus junctis vires ad tuendum corpus junctas denotent, eorumque unus baculo quodam munitus ſit.

§. XVII. Reſtat adhuc in faſciæ noſtræ Hieroglyphicæ delineatione, ut infimæ partis medium intra columnas ſpatium etiam attingamus, cujus in claſſe ſuperiori Anubidis imago dupliciter picta & ſellæ inſidens una manu gnomonem, altera falcem tenet. Per gnomonem ſymmetriæ in mundano corpore conſervatio,

per

α) *Qedip. p. 416.*

per falcem vero inconcinnorum notatur abſciſſio. α) Humanam faciem habent & mitras capitibus impoſitas tiaris Epiſcopalibus haud diſſimiles. Utrique ſacrificulus aſtat, qui manibus erectis auxilium eorum implorare videtur.

§. XIIX. Inferioris ejusdemque poſtremæ Zonæ contenta in Kircheri obeliſco Pamphilio β) & in Ejusdem Oedipo γ) expoſita invenimus, cujus verba hic repetimus. *Eſt, inquit, Conjugium Horeæ Intelligentiæ cum Momphta hic delineatum. Horus reticulata veſte tectus, capite pueri veluti lecto incumbens videtur, cujus anterior ſponda pes leoninus eſt & capiti ejusdem ita conjungitur, ut unam ſtatuam conficere videantur; poſterior vero lecti ſponda poſterioris leonis pedem refert, cauda a tergo adſtantis paululum prominente.* Lecti hujus Momphtæi aſſeclæ & cuſtodes ſunt Canub, Oſiris & Anubis, Nilotici genii Per Anubidem providentia & Cuſtodia, per Oſirin vis lunæ mixta ſole, ſeu Nilus cum Iſide ſeu terra; per Canub beneficus humidi genius indicantur. Intelligebant

α) Oedip. p. 439. ſynt. XIV. β) l. 4. p. 284. γ) ſynt. p. 145.

autem per Horum & Momphtam vim illam corroborativam in potentias terreſtres agentem, ſeu ſolis ſupra mundani igneam vim, qua in humidum illud promovendo agit, qua terra imprægnata veluti ex diuturna tabe convaleſcit & confortata ad fruges ferendas apta redditur. Sub lecto duo Canopi ponuntur, qui ſimulacrum erant in vaſis formam tumidum, ſacri Nili aquarumque Præſidis Numinis effigiem præ ſe ferentes. Pignorius celeberrimus ita: α) *Ipſius* (Canopi) *ſimulalacrum pedibus perexiguis, attracto collo & quaſi ſugillato ventre tumido, in modum hydriæ cum dorſo æqualiter tereti formatur.* Qvod Hieroglyphicum ſchema nihil aliud ſignificat, niſi deſcenſum Numinis vel animæ mundi in Horum ſeu ſolem & ſolis in Nilũ per virtutem leoninam Momphta, qua igneo cum humido coeunte in lecto Momphtæo omnium rerum genituræ excitantur & ad rerum generationem diſponuntur. α)

§. XIX. Hoc ſchema quotquot vidimus delineatas & deſcriptas Mumias ſive in Kirchero ſive aliis, nullibi reperire fuit: men-

α) *p.75.* β) *Oedip. p.* 145.

menſa tamen Iſiaca ſive tabula Bembina innumeris fere Hieroglyphicis fertilis hoc ſimul nobis exhibuit. Cum quo pariter componi poſſunt, quæ laudatus Pignorius inſtillat, quando non omnino diſſimilem thorum loco inferius citato ſiſtit. *α*)

§. XX. Sub hoc demum ſchemate lineæ utrinque deorſum tendentes ductæ apparent, quas linea deſcendens eaque craſſior à ſe invicem divellit; quæ lineamenta, ut & cætera, quæ prætergredimur, minuta, ornatus cauſa hic appoſita eſſe arbitramur.

§. XXI. Ipſum denique cadaver conſiderandum ſupereſt n. 4. notatum, cujus perfectiorem cognitionem curioſus Lector à nobis fruſtra expectabit, cum ejus partes præcipuas, easque interiores ſalvo corpore inveſtigare non potuerimus.

§. XXII. Id marinæ arundini ſuperimpoſitum, & ut vides, pro more Ægyptiorum, imaginem infantis faſciis circumligati exprimit, fœmineique, ut ſupra diximus, ſexus creditur. Tres excepto un quadrante cubitos longum, duos vero cu dimidio quadrante circa pectus, unumqu

α) *p.78.*

& quod excedit quadrantem pedes verſus latum. Qvoad faciem & pectus nigrum, materiaque, quam aſphaltum ob odorem & colorem pici reſpondentem arbitramur, non parce obductum.

§. XXIII. Cranium, ubi violentia quædam aſphaltum detruſit, paſſim nudum apparet; de oculis nil niſi cavitas relicta; naſus depreſſus & os ita clauſum ut dentes novem ſatis diſtincte cognoſci poſſint. Collum maximam partem fractum & foramine, intra quod manus abſcondi poſſet, conſpicuum. Manuum ſitus ægre patet, unamquamque tamen ad latus ſuum dependentem involutam eſſe non dubitamus.

§. XXIV. Pectus ſpeciem aliquam uberum præ ſe fert, & , ut diximus, totum aſphalto illitum, ſub quo tamen multiplicem faſciarum ligaturam per notatum colli foramen obſervare licuit. Faſciæ, quæ reliquum corpus undique cingunt, ob gummi forte, quo conglutinatæ ſunt, fuſcum colorem induerunt. Ex parte quidem diſcerptæ: nihilominus totum cadaver ita conſtringunt, ut duritie ſua lapidea potius quam carnea ſubſtantia credi poſ-

ſet.

ſet. Extrema pedum faſciis carent, ita ut oſſa carne deſtituta tangi posſint. Edacem vel temporum vel longi itineris injuriam & hic aliquid abſtuliſſe maxime credibile eſt.

§. XXV. Atque hæc ſunt, quæ de Lipſienſi Ampliſſimi ſenatus Exemplo fide Hiſtorica recenſere voluimus, quorumque illuſtrationem dediſſe hic nobis nunquam erit dividiæ. Reliqua accuratiori tum Dnn. Medicorum tum Criticorum diſquiſitioni relinquimus & corrigimur facile, ſiqua in re, quod humanum, erratum fuerit: gratulabimur quoque erudito orbi, ſi, quæ ſpes a nonnemine facta jam dum eſt, qui his characteribus Ægyptios velut literis ſcripſiſſe & ſenſa cultus ſui interiora recluſiſſe cenſuit, ad φιλομούσων hujusmodi jucunditatem, feliciſſime impleatur.

APPENDIX.

§. XXVI. Ne ἐπιβλήματος tandem ſive adjecti olim, ut vocant, Corollarii, memoria per nos ipſos intercidat, juvabit prius, quam de illo aliquid diſſeramus, termini, quo deſierit iſte ungendi modus, brevem injeciſſe memoriam. Equidem,

ſi de Antiquitate illius ritus minus jam inter omnes, quam ſciremus, conſtaret, fas & æquum foret de vetuſtate illius obſcura, quæ velut ex magno intervallo temporis vix cernitur, quid præmittere. Superſedere autem nos hac opera vel ſolum Chriſtophori Fureri ab Haimendorf, Reipublicæ Norimb. quondam Duumviri, Militiæ Præfecti & Franc. ordinis Conſiliarii Bellici effatum jam pridem fecit, qui α) ſe haud ita procul à Cairo vidiſſe Mumias, vidiſſe, inquam, ait, quæ tempore Pharaonum, ad quorum poſteros Pyramidum conditura quoque refertur, β) jam cryptis reconditæ creditæ fuiſſent. Quamobrem nos de duratione tantum ſoliciti conſuetudinis illius aliquando pervulgatæ, non poſſumus non Kircheri rurſus facere mentionem, qui Cambyſi, Regi Perſarum abrogationem earum vindicat, qvippe qvi poſtquam acceſſione Ægypti Imperium Perſarum auxiſſet, veterrimi & hujus moris turbator factus eſſet novatorque alius

cul-

α) *in Itinerar. ſuo per Æg. Arab. Palæſt. Syriam &c. p. 55.* β) *Joſephus A. J. II. c. V. cùm quo tamen Marſchamus conferri poteſt in Canone p. 48.*

cultus. Quantũ vero ex Dione γ) lucis fœnerari poſſimus pro defendenda pertinacia ritus hujus Ægypt. ad Romm. tempora protracti, inde patere poteſt, quod adhuc Auguſti tempore, cum Ægyptum, Romanam provinciam conſtitueret, Apis miſere ejulaverit, quem cum Serapide iſta ſuperſtitionibus dedita gens ante alios coluit. Neque Plutarchus librum, quem de Oſiride & Iſide conſcripſit, alio quodam quam quo vixit tempore, nempe ſub Domitiano, Nerva & Trajano confecit; ubi vero Idololatria iſta ut ibidem ipſe teſtatur, omnia adhuc templa fanaque complebat. Etſi itaque neque initia neque finis tam exacte cognoſci poſſunt, cautio tamen adhibenda erit, ne nimis anguſtis, quam par eſt, cancellis vel includamus hunc ritum, vel prolixiori, quam decet, cubito Hiſtoriæ fidem metiamur.

§. XXVII. Quod ad alterum membrum Quæſtionis ſpectat; quo diſquiritur, an corpora quandoque condienda ſint, vel quod de Conditura defunctorum ferendum judicium, negari qvidem ſane non poteſt, ritum iſtum apud Imperatores, Reges & Principes quam maxime adhuc in

uſu

γ) *L. 51.*

uſu eſſe ut corpora exenterentur & aromatibus impleantur. Ecquis autem non agnoſcit, longam temporum ſeriem eludere tandem omnem adhibitam operam? Quamvis male ſentiendum de ea non ſit & vel exempla proſtent inunctorum, ſi ex Rhodigino adducere vellemus, in quæ mille quingenti fere anni nil valuerunt. Stet in pretio, ſi cumprimis neceſſitas legem ferat, hic mos *καθαροῖς καθαρός*. At enim vero neque deſpicatui habeatur, quod de Maximil. I. Imp. Hiſtoriæ monumenta referunt, qui teſtamento cavit, ut corpus ſuum ſine ulla exenteratione terræ mandarent; loco aromatum vivam calcem adhiberent, ut corpus putredine natum, ea quoque conſumente materia citius in terram ſuam verteretur. Nempe agnovit Glorioſiſſimæ Recordationis dignus Heros, quod jamdum Philo & in paganis non pauci agnovere, *ἀνθρώποις καὶ πᾶσι χερσαίοις οἰκειότερον τὴν Φύσιν χωρίον ἀπονείμασθαι γῆν, οὐ μόνον ζῶσιν, ἀλλὰ καὶ ἀποθανοῦσιν, ἵν' ἡ αὐτὴ καὶ τὴν πρώτην ὑποδέχηται γένεσιν, καὶ τὴν ἐκ τοῦ βίου τελευταίαν ἀνάλυσιν.* Quanquam igitur defendi videantur corpora per ungventa a corruptione maturiori, abeunt tandem tamen in eundem cinerem mediante liquore detentum, in quo omnium corporum noſtrorum

poſt fata ſuprema

FINIS.

S. D. G.!